



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Liber Tertivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

D. HENRICI HARPHII,
IN THEOLOGICÆ MYSTICÆ
LIBRVM TERTIVM.

P R A E F A T I O.

RERV M omnium opifex Deus, solo sua bonitatis intuitu in esse cuncta produicens, naturalem amore boni cunctis indidit creaturis: vidum vnaquaque res bonum sibi conveniens naturaliter amat & appetit, mirabili quadam conversione in auctorem suum recurrere demonstratur. Sed in hoc ceteris praefertur creatura rationalis, quod ipsam vniuersalem bonitatis fontem per sapientiam intueri potest, & per charitatis amorem suauiter degustare. Vnde fit, vt sapientia bonum, quo ad ipsum fontem bonitatis accedimus, omnibus humanis bonis secundum recte rationis iudicium praefertur. Hac est enim, qua fastidium necit, ita vt qui eam edit, adhuc esuriat; & qui eam bibit, sitire non cesset. Hac est, inquam, qua in tantum peccato repugnat, vt qui secundum ipsam operantur, non peccent. Hac est denique, qua fructum indeficientem suis ministris elargitur, vt qui eam elucidant, vitam aeternam possideant. Praecellit etiam dulcedine sua voluptates, securitate sua regna & sedes, vtilitate sua diuitias vniuersas. Quam nimirum singulari priuilegio super creaturam rationalem diffuderat, postquam propriam imaginem animabus hominum impresserat, diligentius tamen expresserat eam in cordibus ipsum efficaciter amantium, secundum munus sui largitatem. Verum tamen homo, cum tam singularem eelsitudinem sortitus esset non intellexit, & ipsa sapientia lux, infusa sibi diuinitus, per peccati tenebras & terrenarum occupationum caligines ad id sinit obtenebrata, vt ferè mundus vniuersus ad idola vana procliuus, in sensum reprobum laboretur. Hinc diuina sapientia, multiplex ad pietatem, artifex ad salutem, qua pro sua bonitate ad sui frustrationem hominem condiderat, eundem diuinitatis eius expertem esse non sinens, in naturam humanam se totam contulit, sese humiliando, eam exaltando, mirabilibusq; formulis inseparabiliter vniendo, vt errantem reduceret, ignorantem instrueret, contemnentem alliceret, ac per obiectum illud visibile tam ingratum in invisibilem amorem sustolleret. Cuius vestigia securim insequens de felici conductu contemplatiuorum in semitu iustitia & perfectionis, aliquid instructionis gratia profectui statui: quas vtiq; nemo mortalium perfecte consequitur, nisi prius desideriosis suspirijs eius anima

Ecclef. 24.

Ibidem.

Psalm. 48.

anima post perfectionis exemplar dulcissimum Iesum frequentius subleuetur. Hinc merito Dauid, postquam pramiserat in Psalmo: Ad te Domine leuavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam, postea subiunxit: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Et quidem optime: Nam in his verbis duas vias luculenter expressit, actiuam scilicet, & contemplatiuam: quia via sunt institutiones de ordine actiua vite, & exterioris, quæ conueniunt omnibus. Semita verò sunt occulta via & angusta, sicut sunt mysteria vite contemplatiua. Nam semita proprie via est duorum pedum in latitudine, per quos intelliguntur intellectus & affectus, qui pariter in hac vita coambulant: sed affectus vt domina, intellectus autem vt ancilla. Caterum, ex quo in vtraque vita sunt infinita denia & insidia multa, presertim in secunda, processum hunc diuersis industrijs distinguere placuit, vt pramoniti fideles Christi cautius ambulent, ne vnuquam offendant ad lapidem pedem suum, sed ad optatum finem gressu felicissimo perueniant. Verum, quia intellectus eius (presertim rudibus & simplicibus) difficilior forte videbitur, ideo ad maiorem euidenciam eorum, quæ dicenda sunt, sciendum, quod in homine sunt tres potentie cognitiuæ, & vnicuique potentia quadam affectiua correspondet, ac secundum vnquamque potentiam, diuersi diuersimode rapiuntur, vel raptum quendam patiuntur. Nam prima & infima potentia cognitiuæ dicitur sensuualis, quæ est vis quadam anima, viens in operatione sua organo corporis, tam exteriori, quam interiori, ad ea, quæ sensibilia sunt, per se, vel per accidens cognoscenda. Quæ potentia, si motiones obiectales rerum exteriorum immediatè recipit, dicitur sensus exterior quinquepartitus, scilicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Si verò recipit immediatè sensationes factas in his quinque, iudicans inter eas, sic est sensus communis. Si autem consequatur ex iudicijs vel sensationibus factis in sensu communi, sic dicitur imaginatio, vel phantasia, vel virtus formatiua, aliàs cogitatiua. Quod si ex sensatis elicit insensata, dicitur virtus aestimatiua, quæ de proficuo vel nociuo dyudicat. Præterea adhuc duæ sunt vires sensitiuæ in absentia specierum retentiuæ: vna pro sensu communi, quæ aliquando dicitur imaginatio: alia pro formatiua & aestimatiua, cui memorie nomen inditum est. Caterum, vis ista cognitiuæ sensuualis, dicitur aliquando animalitas, aliquando sensuualitas, aliquando calum primum vel infimum, aliquando imaginatio, quandoque verò vmbra rationis. Cui respondet appetitus animalis vel sensuualis, qui est vis animæ affectiua, apta moueri immediatè ab apprehensione sensitiuæ. Porro, præter hunc appetitum ponere conantur quidam sensum naturæ, siue ad bonum siue ad malum, ex hoc saluantes multos effectus mirabiles in animantibus respectu alii vel fugæ vel prosecutionis, qualifmodi causa reddi non potest ex apprehensione cognitionis sensuualis: Vt,

Via Domini.
Semitæ.

Ratio instituti huius.

Psal. 50.

Potentia cognitiuæ in homine tres.
Sensitiua.

Comunis.

Imaginatiua.
Aestimatiua.

Sensus naturæ.

O o o o

lu: Vt,

lis: Ut, quod hōste presente, nec tamen viso, horrescunt pili cum tremore quodam;
quod contra sit amiso presente. Item, quod formica futura providens hyemi far-
ris ingentem acervum comportat & colligit: & sic de similibus. Sed quid miran-
dum est de talibus secretis instinctibus seu impulsibus ad fines suos consequendos,
cum & naturales tractus inuenimus in corporibus minus organizatū & insensatū,
scilicet ferri ad magnetē, maris ad lunā, qui scilicet instinctus et tractus, lex natu-
ra vocari potest, vel inclinatio naturalis, aut directio intelligentiā nō erratū. Deni-
que raptus ipsius sensus in actū suo super inferiores se potestas, sit per amoris affe-
ctionē, qua potest tāta fixatione rapere virtutem imaginatiuā, quod inferiores potē-
tia sensuū exteriorum: obiecta propria eis opposita, nō attendat: quod ab experien-
tia propria Philosophus sumpsit. Quē raptum causat vel facit seruidū desiderium
rei per imaginationem representata. Secunda verō & media potentia cognitiua,
dicitur rationalis, & est vis quadā anima cognitiua, deductiua cōclusionū ex prin-
cipiis, & elicitiua insensatorum ex sensatis, ac abstractiua quidditatum, nullo or-
gano in operatione sua egens. Hac autē descriptio per ultimā particulā notat dif-
ferre rationem à sensualitate, q̄ scilicet virtut organo. Per alias verō particulas,
ab intelligentia simplici seceruitur: cuius operatio magis attenditur in receptione
cognitionū simplicis à superiori luce Deo, quā à deductione conclusionum ex prin-
cipiis, q̄ est proprium rationis, siue principia sint ab experientia sensus, ut q̄ ignis
est calidus; vel illa sibi presentauerit ab alto simplex intelligentiā. Et secundum istā
presentationem, vocatur portio rationis superior, q̄ nomen habet viri. Prima verō
presentatio vocatur portio rationis inferior, qua nomen habet mulieris. Quia tan-
tum viuacitatis & virtutis habet ratio, dum superioribus intendit, respectū illius,
quā trahit ab inferioribus, quantum vir à muliere differt in virtute & fortitudine.
Et haec quidem potentia, quandoq; dicitur calan medium in anima, vel in vmbra
simplicis intelligentiā, si: ut intelligentiā simplex est in vmbra Angeli, & Angelus
in vmbra Dei. Cui potentia correspondet appetitus vel affectus rationalis, qui est
vis quadam affectiua ipsius anima, apta moueri immediatē ab apprehensione co-
gnitiua rationis. Et hic quidem appetitus si est respectu rerum possibilium & im-
possibilium, dicitur voluntas. Si verō consideratur, respectu actū tā eliciti, dicitur ele-
ctio, vel appetitus electiuus. Si autē respectu actuum imperatorum est, dicitur ap-
petitus dominatiuus vel executiuus. Si deniq; voluntas est exequendi ea, quae iam
electa sunt, dicitur propositum: sed inclinatio ad haec exequenda, dicitur consien-
tia, nisi dicamus, quod conscientia duo simul importat, scilicet iudicium, & affe-
ctionem comitem. Raptus autem rationis in actū suo super inferiores potestas,
fit per voluntatis amorem, ut patet in eis, qui volunt & quarunt deducere ac r. 140-
cin. ar. 1

Potētia ra-
tionalis.Aff. Aus
rationa-
lis.

cinari ex notis incognita. Quos aliquando voluntarius huiusmodi appetitus otiosi
 fecit à suis operatibus non solum sensuum exteriorum, ut nescirent quid extra
 fieret: sed etiam virtuti phantastica vel imaginaria sua denegabatur actio, ut q̄
 corporeum phantasma non irruens, aut irrumperere volens, superiore virtute ratio-
 nis & voluntatis premeretur. Quod patuit in quibusdā, de quibus apud Valerium
 Maximum nota est historia. Tertia demum et suprema potentia cognitiua, dicitur
 intelligentia simplex, quæ est vs̄ quædam animæ cognitiua, naturalis quandā à
 Deo lucem immediatè recipiens, in qua, & per quā prima principia cognoscuntur
 esse vera terminis apprehensis. Et hæc prima principia nominantur aliquando di-
 gnitates, aliquando communes animi cōceptiones, aliquando respectus primi, ali-
 quando regula incommutabiles & impossibiles aliter sese habere. Verbi gratia:
 Quodd totum maius est sua parte, quodd intellectiuum perfectius est suo non intelle-
 ctiuo, quodd spirituale (ceteris paribus) prestantius est corporali, & sic de singulis.
 Quodd si queratur: Qualis sit illa lux, dici potest, quodd sit ipsa et anima, lux quæ-
 dum existens intellectualis natura, deriuata ab infinita luce prime intelligentie,
 quæ Deus est, secundum illud Ioannis: Erat lux vera, quæ illuminat omnem
 hominē venientē in hūc mundū. Et Psalmista ait: Signatū est super nos
 lūmē vultus tui Domine. Porro, qui secundum Dionysium, 7 de diuinis nomi-
 nibus, in progressu rerum à Deo fit cōcatenatio quadā, ut infimum supremi sit pri-
 mum inferioris: Angelus, à quo minoratus est homo, quia est intelligentia simpli-
 cior homine, hoc habet in sua natura infimum, q̄ homo habet in sua natura supre-
 mum: ut secundum hanc vim intelligentia coniungatur absq̄ medio alterius spe-
 ciei dno, scilicet intellectus Angelicus & humanus. Quodd tamen non est ita intelli-
 gendum, ut aliquod medium sit inter Deum & animā, cum dicat Augustinus: Ni-
 hil esse superius mente nostra, præter Deum. Verum id quidem est, quoniam uterq̄, à
 Deo equè immediatè tria suscipit, quæ sunt natura, gratia & gloria. Sed in reli-
 quiis, sicut est inter Angelos ordo hierarchicus, sic etiā Angelorū ad homines est or-
 do, secundum tres actus hierarchicos, quos nominat D. Dionysius, purgare, illumi-
 nare, & persicere. Et hoc quiddē respectu gratiarum & perfectionum secundarū.
 Præterea vs̄ ista simpliciu intelligentie quandog, mens dicitur in scriptura, quan-
 dog, vmbra intellectū Angelici, quandog, vero tertium calum, siue calum supre-
 mum ipsius animæ, quandog, lumen intelligentie, quandog, lux diuina, quandog,
 scintilla vel apex ipsius rationis. Cui potentie correspondet proportionalis quadam
 virtus affectiua, quæ dicitur syneresis, quæ est vs̄ quadā appetitiua ipsius animæ,
 à Deo suscipiens immediatè quadam naturalem inclinationem ad bonum, per
 quam trahitur insequi motionem boni ab apprehensione simplicis intelligentie si-
 bi presentati. Hanc autem syneresim alijs nominibus appellare solemus habitum
 practi-

Potentia cognitiua.

Anima lux.

Ioan. 1.

Psalm. 4.

Psalm. 3.

Mens.

Notetur hoc diligē-
 ter, quæ hinc
 apparet, q̄
 sit animam
 in tertium
 cælū qua-
 doque rapi
 apud aucto-
 rem Syner-
 esis præca-
 tur auctori,
 si Syneresim
 vocat
 modò appe-
 titiuā vim,
 modò habi-
 tum practi-
 cum princi-
 pium. Ex-
 tot est.

practicum principiorum, vel scintillam intelligentiae ratione cuiusdam suae evolutionis & ardoris ad bonum, vel apicem mentis, aut instinctum indelebilem, vel portionem virginalem ipsius animae, vel stimulum naturalem ad bonum aut supremum calum in affectu potentis, aut dicitur virtus amativa superior: & ita proportionabiliter ad ea, quae dicta sunt de suprema potentia cognitiva. Porro raptus ipsius mentis, supra potentias inferiores se, fit per affectionis scintillam mentis cognatam vel appropriatam, quae scilicet amor extaticus vel mentis excessus nominatur. Manuducimur autem ex prioribus raptibus (qui sicut crebriores & faciliores sunt, sic intelligibiliores inveniuntur) qualiter scilicet mens nostra in actibus suis taliter effertur potest & figi, quod eam nulla potentiarum inferiorum interturbet. Sed plerumque per vim affectivam ita seipsam actuabit, quod vis intellectiva, neque se, neque alia quacunque recognoscit, sicuti clarius in processu praesentis speculationis elucescet. Caterum lectores uniuersos exhortor in visceribus Iesu Christi, ne praesentia mordaci dente, vel inuidia tabescente reuoluant: sed si qua videntur vitiosa, diuina gratia duntaxat adscribant: quae verò nondum sapient, vel etiam non intelligunt, quieto silentio transeant: quia pro his tantummodò scripta sunt, qui non in sapientia verbi, sed in mortificatione animi, ac in elevatione spiritus proposito vel affectu coambulant. Vnde processum hunc, quem Eden, id est, Paradisum contemplatiuorum, appellare decreui, nemo perfecte comprehendere potest profunditate scientiae, vel subtilitate intelligentiae, vel quibulibet exercitationibus: sed sola felicissima perdocetur experientia, cui diuina liberalitas hanc ipsam suam bonitatem communicare placuerit. Hac est enim illa doctrina praecelsa, quam increata sapientia sibi soli reservare voluit, ac dignè se preparantibus duntaxat largiturè communicare, ut sic confundantur omnes mundi sapientes, consolentur & exultent humiles, cum vetula simplex & rusticum pascualis ad hoc consurgere cum animi puritate & spiritus viuacitate praevalent, quod omnes sapientia mundana tumentes, nulla industria, nulla intelligentia, quantamcumque perspicua, penitus attingere queant. Hinc merito dulcis Iesus, exemplar humilium, oculis in caelum erectis, exultans in spiritu, dicebat ad Patrem: Confiteor tibi Pater Domine caeli & terrae: quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Vnde necessarium est, si hac ipsa velint experimentaliter intelligere, quod omni proprietati suae morientes, soli Deo viuant: ac vultum suum in profundo spiritus aeterno lumini iugiter obijciant: ubi nimirum occulta veritas sese nullo intercedente medio manifestat.

Operis praesentis ratio.

Quod bonum est probate, & ab omni specie mali semper abstinete.

Mat. h. 11.
Luc. 10.

D. HENRICI HARPHII

THEOLOGIAE MYSTICAE LIBRI III.

qui EDEN, hoc est, Paradisus contempla-
tiorum inscribitur,

PARS PRIMA.

*Vri diuersi homines diuersis modis medijsque ad Deum vo-
centur, quomodoque quidam diuinae uocationi
resistant. Cap. I.*

BONITAS diuina, cum sit bonum vniuersalif-
simum creaturis omnibus rationabilibus ingenita
liberalitate comunicare sese desiderat, vniuersos ad
vniionem suam sine differetia personarum inuitans,
& dicens: Venite ad me omnes qui concupiscitis me. Ecclef. 24.
Matth. 11.
Et iterum: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onera-
ti estis: & ego reficiam vos. Cuius profecto uocationis
emolumentum ostendit, ad Patrem orans, & dicens: Pater sancte, ser-
ua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint vnum, sicut & nos vnum su-
mus. Iohan. 17.
Et iterum: Ut omnes vnu sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te:
ut & ipsi in nobis vnum sint, ut scilicet sicut Pater in Filio, & Filius in
Patre est: ita per vnitatis formam in Patre & Filio vnum omnes essent
constat per charitatis ignem. Vnde Augustinus ibidem: Ita est Pater
in Filio, ut vnum sint, quia vnius substantiae sunt. Nos vero esse quidem
possumus in eis vnum, tamen vnum cum eis esse non possumus: quia
vnius substantiae nos & ipse non sumus. Praeterea 1. ad Corinth. dicitur: 1. Cor. 6.
Quod is, qui adheret Deo, vnus spiritus efficitur, scilicet participati-
one beatitudinis in futuro, vel vnus spiritus copula dilectionis in praesenti,
quia secundum Augustinum: Humilitas nos Deo subijcit, puritas
iungit, charitas vnit. Dicitur autem vnus spiritus, quasi in vnum spi-
rans per concordiam gratiae, non vnus simpliciter per identitatem sub-
stantiae, quam vnitatem operatur charitas, quia transfert amantem in
amatum. Haec enim sicut Deum inclinatur ad terram, sic hominem sub-
leuat in caelum: & sicut Deum coegit humanari, sic hominem cogit dei-
ficari, dum suis impulsibus & aspirationibus, in supereminente quan-
dam ab-

Inadefides.

dam absorptionem, verum contemplatiuum cogit expirare & annihilari. Sed vix vix desidia temporis huius: quam pauci, pro dolor, audire fatagunt vocem inuitantis amici, nec est qui retractat dicens: Quid feci? Sed omnes ferè mundanis affectibus & inutilibus curiositatibus distenduntur. Quin etiam multi religiosi, viriq; sanctitate famosi, qui diuersis scientijs curiosis, aut inuentionibus industriosis mentem occupant etiam pro terrenis coaceruandis & conseruandis, aut diuersis laxationibus, dissolutionibus, murmurationibus, recreationibus, confouendis, mundanis etiam fauoribus & adulationibus frequentandis, miserabiliter abducuntur & præpediuntur: ita quòd diuinis inspirationibus & influentijs liberum aditum non indulgent: nec restat spiraculum aliquod, quo Creatorem suum anima fidelis per flammigeras affectiones attingat. Sicque diuina vocatio, vel inuitatio à diuersis diuersimodè suscipitur, vel respicitur. Quorum differentiam in numerum septenariu redigere placuit. Nam primò sunt quidam inuitationi huic semper inobedientes, sicut duri & indurati ac obdurati filij Adam, illud propheticum dicentes: *Desperauimus, post concupiscentias nostras ibimus.* Et hi quamdiu diuinam inuitationem nõ obaudiunt, necesse est, quòd reliquis Dei donis careant, quæ nimirum ad exauditionem vocis ipsius inuitantis essent continuo securura. Et horum quidem multa sunt genera.

Vocatione
diuinam fi-
eri septifa-
ciam.
Hier. 18.

Genera
peccantium
quinque.

Lucæ 8.

Primum est illorum, qui de bonis operibus curam non habentes, viuere volunt secundum delectamenta corporis, ac secundum libitum in impeditioibus, & multiplicitate cordis volutari. Quòd si quædam quædam opera de genere bonorum actitare videntur, sola quadam arida consuetudine ducti perficiunt. Et hi sunt inhabiles ad recipiendum Dei gratiam. Et quanquam receperint ad horam contriti, eam tamen retinere non possunt, eò quòd *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*

Secundum genus est illorum, qui teste conscientia lapsi sunt in mortalia, & nihilominus opera de genere bonorũ perficiunt. Deum timentes, bonos diligentes, eorum precibus ituari cupientes, in eorũ suffragijs spem suam constituent, ieiunantes, vigilantes, orantes, elemosynas facientes. Sed quamdiu auersio & vitiorum delectatio, dilectionem, & conuersionem ad Deum conculcant, & illi præponderant, tamdiu semper dei gratia sunt indigni.

Tertium genus est hæreticorum & perfidorum aliquatenus in fide ab-

de aberrantium, qui quæcunque bona fecerint, vel quemcunque modum religionis allumpserint, *sine fide Deo placere non poterunt*: quia fides omnis sanctitatis, & omnium virtutum solidissimum est fundamentum.

Quartum genus est hypocritarum, qui bona quidem opera faciunt, non propter honorem Dei, vel propriam salutem; sed propter nomen sanctitatis, aut cupiditatem vanæ laudis, aut propter res transitorias consequendas: & intrinsecus falsi sunt, & à Deo auersi, licet extrinsecus boni cæteris appareant. De quibus ait Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

Matt. 6.

Quintum genus est illorum, qui sine timore & verecundia perseverantes in mortali, de Deo non curant, nec de bonis eius; sed vitam spiritualem hypocrisim reputant, & quicquid eis de DEO vel virtutibus dicitur, inuitè audiunt, aut potius irrident. Statuerunt enim in animo suo quasi non esset Deus, cælum, vel infernus: & ideo nihil scire voluit, præter id, quod præsentialiter sentiunt. Et hi peccant in Spiritum sanctum. Veruntamen adhuc conuerti possunt licet difficulter & raro contingat. Ecce quinque peccantium genera distinximus, qui quidem omnes ad vniõnem à DEO vocantur: sed quamdiu peccator se paratum exhibet in obsequium vitiorum, surdus & cæcus permanet ac ineptus degustare & sentire diuinum bonum, quod in eo Deus operari desiderat. Quod si diuinæ vocationi veraciter obsecundare voluerit, necessarium est vt liberè proponat peccata deserere, penitentiam agere, virtutibus insistere, vt vel sic Deo concors & vnanimis fiat, & eius gratiam recipiat. Ad quod vt efficacius induci mereatur, tria præcipuè consideret.

Peccator
quid faciat?

Primò, sic illam infinitam liberalitatem diuinam inspiciat, quod proprio bonitatis instinctu, omnes homines ad suam vnitatem sine personarum acceptione misericorditer vocat & inuitat. Nimirum cum *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis peruenire*, tam malos, quam bonos. 1. Tim. 2.

Secundò, sic de bonitate & diuina largitate sentiat, quod cum gratia sua profluere non cessat: in omnes eius vocationi obsecundare volentes: quia tribuit *omnibus abundanter & non improperat.*

Iacobi 1.

Tertiò, tandem in se veraciter intelligere debet & experiri, nos posse fieri vitam vnã, vnumque spiritum cum Deo, si nobis ipsis penitus renuntiantes, subsecuti fuerimus Dei gratiam in excellentissi-

mo secretario suo, quod nos ducere velit, obediens dominicæ voci dicenti: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Hæc autem sequela profectus ordinato semper gressu perficitur, quia gratia Dei semper ordinatè agit in quouis homine, iuxta modulum vniuscuiusque capacitatis.

Secundò principaliter sunt quidam hanc inuitationem quasi serui mercenarij receptantes, & amplectentes. Et huiusmodi licet exterius operibus Deo obsecundare videantur: contrarij tamen sunt in intentione, dilectione, sensatione, & in omni interna exercitatione. Tam inordinatè namque seipsos diligunt, quòd non ob aliud, nisi ob proprium lucrum, & mercedem Deo seruire quærunt, in omnibus exercitijs sibimetipsis intendentes, eò quòd inordinatè sibimetipsis cõiungunt, & ad seipsos reflexi, quia vera & filialis dilectio illis deest, quæ esset eos Deo & electis omnibus vnitura. Quare meritò serui mercenarij conuincuntur, hæreditate diuina priuandi. *Non enim manet seruus in domo in æternum.* Quia mercenarius amor non modò non meretur, sed demeretur, non constituendo Deum principale suæ dilectionis finem. Vnde licet ipsi mandata Dei sanctè; matris Ecclesiæ seruare videantur, legem tamen charitatis ignorant: quia quicquid agunt, necessitate cogente, non ex charitate faciunt, ne scilicet cum reprobis damnentur in æternum. Cùm igitur intrinsecus infideles sint, in Deo perfectè confidere non possunt, sed tota eorum vita interior est formido & pavor, miseria & labor. Omnes eorum preces, labores, & opera quæcunq; facere poterunt, ad expellendum hunc timorem, nullù eis profusus effectum auxilij præstant: quia quantò magis inordinatè se diligunt, tantò plus inferni tormenta formidant. Ex quibus liquet, quòd propria dilectio, qua homines seipsos amulantur, timorem parit infernalem: qui timor oritur ex inclinatione naturali, qua quilibet naturaliter appetit esse beatus. Vnde licet Deo quis infidelis extiterit se tamen ex se sentit ad beatitudinem, quæ Deus est, inclinatum, quam vtique timet amittere, quia se magis quàm Deum amat, & ipsam beatitudinem abstrahendo propter seipsum zelat: quapropter infidelis esse comprobatur. Iste tamen est timor, qui dicitur *sapientia principium*, & lex infidelium seruorum Dei; quia cogit hominem peccata deserere, virtutes concupiscere, opera bona perficere, quæ præparant hominem intrinsecus ad gratiam Dei suscipiendam, & ad efficiendum seruum fidelem. Nam in eo momento, quo vincere potest auxi-

Iohan. 8. *Non enim manet seruus in domo in æternum.* Quia mercenarius amor non modò non meretur, sed demeretur, non constituendo Deum principale suæ dilectionis finem. Vnde licet ipsi mandata Dei sanctè; matris Ecclesiæ seruare videantur, legem tamen charitatis ignorant: quia quicquid agunt, necessitate cogente, non ex charitate faciunt, ne scilicet cum reprobis damnentur in æternum. Cùm igitur intrinsecus infideles sint, in Deo perfectè confidere non possunt, sed tota eorum vita interior est formido & pavor, miseria & labor. Omnes eorum preces, labores, & opera quæcunq; facere poterunt, ad expellendum hunc timorem, nullù eis profusus effectum auxilij præstant: quia quantò magis inordinatè se diligunt, tantò plus inferni tormenta formidant. Ex quibus liquet, quòd propria dilectio, qua homines seipsos amulantur, timorem parit infernalem: qui timor oritur ex inclinatione naturali, qua quilibet naturaliter appetit esse beatus. Vnde licet Deo quis infidelis extiterit se tamen ex se sentit ad beatitudinem, quæ Deus est, inclinatum, quam vtique timet amittere, quia se magis quàm Deum amat, & ipsam beatitudinem abstrahendo propter seipsum zelat: quapropter infidelis esse comprobatur. Iste tamen est timor, qui dicitur *sapientia principium*, & lex infidelium seruorum Dei; quia cogit hominem peccata deserere, virtutes concupiscere, opera bona perficere, quæ præparant hominem intrinsecus ad gratiam Dei suscipiendam, & ad efficiendum seruum fidelem. Nam in eo momento, quo vincere potest auxi-

Amor priuatus. quòd propria dilectio, qua homines seipsos amulantur, timorem parit infernalem: qui timor oritur ex inclinatione naturali, qua quilibet naturaliter appetit esse beatus. Vnde licet Deo quis infidelis extiterit se tamen ex se sentit ad beatitudinem, quæ Deus est, inclinatum, quam vtique timet amittere, quia se magis quàm Deum amat, & ipsam beatitudinem abstrahendo propter seipsum zelat: quapropter infidelis esse comprobatur. Iste tamen est timor, qui dicitur *sapientia principium*, & lex infidelium seruorum Dei; quia cogit hominem peccata deserere, virtutes concupiscere, opera bona perficere, quæ præparant hominem intrinsecus ad gratiam Dei suscipiendam, & ad efficiendum seruum fidelem. Nam in eo momento, quo vincere potest auxi-

Prou. 1. & 9. *sapientia principium*, & lex infidelium seruorum Dei; quia cogit hominem peccata deserere, virtutes concupiscere, opera bona perficere, quæ præparant hominem intrinsecus ad gratiam Dei suscipiendam, & ad efficiendum seruum fidelem. Nam in eo momento, quo vincere potest auxi-

Seruus quomodo quis fiat fidelis. Nam in eo momento, quo vincere potest auxi-

auxilio Dei propriam voluntatem, & sic abicere zelum sui ipsius inordinatum, quod Deo de omni necessitate sua audeat confidere, in hoc tantum Deo complacet, quod ei gratiam suam elargiri non differt, per quam veram sentit dilectionem, omnem expellentem ambiguitatem & timorē seruilem, ac plenariē confidere facientem quantum sit ex parte Dei, licet ex parte subiecti semper sit timendum: & sic efficitur seruus fidelis, Deum in cunctis actibus suis incipiens intendere & diligere.

Tertio sunt quidam hanc inuitationem fideliter suscipientes, sed segniter admodum prosequentes. Et ideo dicuntur serui desides & pigri, qui scilicet gratiam iam acceptam vilipendunt, & quasi pœlibus conculcant. Quibus Apostolus ait: Hortamur vos, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Nam illi gratiam Dei in vacuum recipiunt, qui secundum illam diligenti sollicitudine non operantur. Et hæc est ingratitude maximè detestanda, operanti Domino non cooperari, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere*. Vnde sicut generatio fieri non potest in materia generabili & corruptibili siue corporali secundum rationes feminales, nisi beneficio luminis corporum cælestium, quæ procul elongantur à generatione & corruptione: sic anima rationalis opera viua facere non potest, nisi recipiat à sole Christo beneficium gratuiti luminis gratiæ, & nisi sequatur ipsius lunæ, id est, Mariæ patrociniū, & imitetur aliquorum exempla Sanctorum, ex quorum concursu congregetur in eo viuū opus & perfectum. Et sicut natura corporalis animæ non potest vniri, nisi mediante humore, spiritu, & calore, quæ tria carnem disponunt, vt ab anima vitam recipiat: sic Deus non præstat animæ vitam, nec vnitur eidem, nisi sit humida, per gemitum compunctionis & pietatis: nisi sit spiritualis, per contemptū omnis terrenitatis, & nisi sit calida, per desiderium patriæ cælestis. Alioqui melius esset illi non agnoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illi traditum est sancto mandato. Contingit enim ipsi illud veri prouerby: *Canis reuersus ad vomitum: & Sus lotus in volutabro luti*. Cui bene Dominus ait in Apocalypsi: *Vtinam calidus esses aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo*. Et tales numerantur in statu deficientium. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod tria sibi inuicem succedunt, quæ maximè à profectu retrahunt. Primum, est negligentia mater tepiditatis, & origo totius deficientiæ, quæ triplici funiculo textitur. Est enim negligentia cordis

Pigritia in
seruicendo
Deo.

2. Cor. 6.

Iohan. 15.

Vitæ animæ
tria causan-
tia quæ.

1. Pet. 2.

Prover. 26.

Apoc. 3.

Negligentia
proficiendi
triplex.

Pppp custodi-

Cordis. custodiendi, dum vagari permittitur, circa superflua, inutilia, & nocua. Vnde Dominus: *Usquequò mora tuur in te cogitationes noxiae?* Ideo Sapiens consulit: *Omni custodia serua cor tuum*, quoniam ex ipso vita procedit. Est secundò negligentia temporis expendendi, cum, scilicet subtrahat gratia deuotionis, tardiu incurrit omnis exercitij virtuosi. Hinc male cauti spiritualis amoris iura non agnoscentes, cum sine delectationibus esse nolunt, protinus ad sensualia defluunt, otiose circumcurfantes, & in fabulis tempus dilapidantes. Tales proficere non possunt, sed deficere coguntur: quoniam diligens custodia sui, & amor solitudinis atque silentij, totius profectus initium sortiuntur & finem.

Finis. Est tertio negligentia finis intendendi, quia propriam industriam non applicant efficaciter ad poenitendum & defendendum peccata commissa, ad abiicienda tentamenta diabolica, & ad consurgendum semper ad perfectiora exercitia. Ex qua negligentia secundum egreditur, scilicet concupiscentia, quia in desiderio est omnis otiosus & remissus, quæ similiter triplici funiculo contextitur. Est enim concupiscentia voluptatis, quæ fouetur in appetitu dulcium cibariorum, molliu indumentorum, & lasciuorum oblectamentorum: quorum primum motum pro posse subterfugere debet, quia lubrica sunt, & maxime maculantia. Est secunda concupiscentia vanitatis in appetitu fauoris, laudis, honoris, & familiaritatis, quæ hominem euiscerant, & vanum efficiunt: quia omnia opera faciunt, vt hominibus pareant. Est tertia concupiscentia curiositatis, cum inordinate quis appetit scire occulta, quæ mentem inquietant; videre pulchra, quæ sensus alliciunt, & mentem excæcant, habere chara, quæ affectum inficiunt, & amorè Dei in frigidant, & sic hominem semper ad deteriora detrahunt. Nam ex hac concupiscentia, quæ sic conscientiam amaricat & conturbat, egredietur tertium, scilicet nequitia, quæ sentina omniu vitiorum est, quia primò torporem inducit acedia, quo sibipso grauis & aliis intolerabilis efficitur in cõuersatione, incorrigibilis in admonitione, profuens in amaricationes iræ, inuidia, & rancoris, & infinitas fouet suspiciones, detractiones, temeraria & peruersa iudicia, & similia cunctaque toruo lustrat oculo, vnde latatur tandem vel aliquos suæ malitiæ complices inuenire, cooperatores diaboli, & cohæredes aeterni supplicij: quòd à nobis auertat. CHRISTVS IESVS sapientia Patris.

Vii cer

Vti certamina difficultatesque variæ Deo seruire inchoantibus obueniunt, & quonam pacto quisque Dei seruus Domino Deo suo fidelis consistere debeat. Cap. II.

Interrogatus Dominus, si pauci sunt qui saluantur, respōdit: *Contendite intrare per angustam portam, quia dico vobis, multi querent intrare, & non poterunt:* & hoc propter eorum desidiam, vt patet in tribus generibus seruorum infidelium, de quibus iam dictum est. Nimirum cum intrare volentibus indicitur labor continuus, & conflictus quotidianus, qui sine magna animi industria & diligentia suppeditari non potest, vt verificetur illud Iob: *Militia est vita hominis super terram.* In cuius figura diuturna fuerat concertatio inter domum Dauid & Saul, quia spiritus & caro sibi inuicem aduersantur. Et hinc spiritui nostro quotidianæ decertationes incumbunt, & prælia, à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio per ambulante in tenebris, ab incursu & demonio meridiano. Parauerunt, inquit, sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obsiduro rektos corde. Insuper narrauerunt, vt absconderent laqueos, dixerunt: *Quis videbit eos?* Denique tempestas ingruit à quatuor ventis cæli qui sunt, Spes, timor, gaudium, & mœror. *Ignis* etiam & grando nix, glacies, spiritus procellarum, & omnia simul contra miserum coniurasse videntur. Quod si liceat aliquando vel modicam in lucem respirare miserationum Domini, ac in animi tranquillitatem dulcedinemque tenuissimæ deuotionis, ne penitus in via deficiat, vel in laboribus succumbat: fateor vobis, quia felix hora, sed breuis mora. Rursumque patent insidias, premunt angustias, foris pugnae, intus timores. Tu ergo serue Dei, qui fidelis inueniri desideras, insurge, & toto conamine in prophetas Baal aciem instrue, & audacter interfice, ne interficiaris à Domino. *Consecra manus tuas, vt benedictionem consequi merearis æterni Sacerdotis.* Vnde contra tres hostes prædictos, acies belli spiritualis præcipue dirigi debet, scilicet contra negligentiam, concupiscentiam, & nequitiam. Nam strenuitas, quæ est quidam animi vigor, excutiens omnem negligentiam, & dispones ad faciendum opera virtuosa vigilanter & eleganter, contra primum hostem emittenda est. Seueritas autem, quæ est quidam vigor mentis, omnem restringens concupiscentiam, atque ad austeritatis habitans amorem, secundum hostem debellare consuecat. Benignitas denique, quæ est quidam animi dulcor, omnem excludens amaritudinem

Pppp 2 & ne-

Servi fideles foris stantes.

Philip. 2.

Divisio cordis.

Non ita dicitur servus, ut etiam non sint amici; sed in comparatione aliorum.
Ioan. 15.

& nequitiam, & habitans ad benevolentiam, tolerantiam, & integram laetitiam, hostem tertium potenti virtute deuincat, vt sic veluti verus amicus Dei *superius* ascendat. Quarto sunt quidam hanc invitationem recipientes, quasi serui fideles in gaudium Domini sui constituendi. Qui praeligant in omnibus diuinis obedire mandatis & Ecclesiasticis institutis, se ipsos exercitantes in bonis moribus & virtutibus, ac exercitijs actiuae vitae, *non quasi sum quarentes, sed qua Iesu Christi*. Veruntamen, quia in operibus actiuae vitae perfectionem vniuersam constituunt, ideo necdum eos ad interiora Dominus introducit, sed eos foris relinquit exterioribus implicandos, vt sibi suaeque familiae iugiter in omni obsequio exteriorum exercitiorum sint fideles. Quia gratiam suam & opem Deus elargitur, secundum vniuersumque fidelis aptitudinem & operam. vel in exterioribus virtutum operibus, vel in interioribus dilectionis exercitijs. Vnde nemo potest interna vltare exercitia vel sentire, nisi prius Deo sit totus & totaliter applicatus. Quamdiu namque corde diuisus & distractus fuerit, tandem effusus & instabilis animo permanebit, & a passionibus naturalibus, quae adhuc in eo viuunt, facile commouebitur. Et quamuis viuendo Dei mandata teneat; minimè tamen intrinsecus illuminatur, nec quid sit internum exercitium, vel quomodo fieri debeat, eruditur: contentus in eo, quod scit & sentit se Deum intendere, ac eius placitissimam voluntatem in omnibus velle perficere. Nam quia se sentit in intentione non fictum, & in diuino seruitio fidelem, in his sibi complacet, & videntur ei exteriora opera virtuosa, facta cum intentione recta, esse sanctiora & utiliora, qualibet exercitatione interna, quia vitae modum extroeuertentem auxilio diuino praelegit: & ideo non agit frequentat exteriora opera cum discretionem, quam Deum, propter quem operatur, cum intima dilectione. Et haec est causa potissima, cur in eius corde magis depicta sunt & versantur opera, quae perficit, quam ipse Deus, propter quem agit. Hinc nimirum actiuus remanet, & exterioribus deditus, nec est aptus satisfacere consilijs dominicis, eò quod eius exercitium est potius externum quam internum, sensuale quam spirituale. Sicque adhuc tanquam seruus à diuina familiaritate remanet alienus, quia *nescit quid faciat Dominus eius* in interiori operatione animae, quod vtrique praesentiunt amici Dei; quibus ait in Euangel. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quae audiu à Patre meo, nota fe-*

an feci vobis. Et ideo multi rudes ad exteriora conuersi, de spiritualibus in experti, semper interno arguunt & iudicant, veluti otio vacantes: sicut Martha de Maria conquerebatur, quod in obsequio tam sancto, tam pio non se ministrare iuuaret. Videbatur enim ei, quod obsequio grandi & magne utilitati defruiret, & soror sua Maria velut inuili otio superflue vacaret. Sed Dominus super utranque diffinitiuam protulit sententiam, & arguit Martham, non de suo ministerio, quod utique bonum erat, sed de nimia sollicitudine, qua distenta atque distracta turbabatur: deinde laudauit Mariam de interna sua exercitatione, dicens: *Porro vnum est necessarium: & ideo Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea.* Hoc autem vnum est vniuersus amor diuinus, cui iugiter inherere est sapientia consummata. O vnum, cui nec aliquid comparari ne dicam adæquari valet in creaturis. *Maria* planè *optimam partem elegit*, cum amatoriam in Deum adhesionem suis exercitijs frequentauit. Quam partem veri amici Dei, veluti diuinorum secretorum conscij, sibi nunc etiam eligunt. Sed alteram partem & bonam elegit Martha, scilicet actiuam & exteriorem vitam, licet non adeò perfectam: quam adhuc eligunt serui fideles ob amorem Dei sui, vt & ipsi audiant in die iusta necessitatis: *Euge serue bone & fidelis, quia in paucis fusti fidelis, super multate constituam.* Qui verò perfectus in vtroque fuerit, hic beatus in facto suo erit. Quinto verò sunt quidam hanc inuitationem recipientes, vt amici Dei secreti, qui, scilicet, iugiter ante Dei conspectum cum interna exercitatione sunt erecti, licet hanc internitatem cum proprietate quadam possideant, eò quod eligunt ipsam amatoriam adhesionem pro excellentissimo, ad quod peruenire queunt aut volunt: & ideo nequaquam valent se vel opera sua pertransire in quandam otiosam nuditatem sed sui, operumque suorum imaginibus intrinsecus obuclati sunt & depicti. Quamuis autem in amatoria sua adhesionem cum Deo sentiant vnionem, in ea tamen vnione experiuntur inter se & Deum differentiam & alteritatem: quia simplex excessus in nuditatem & modipriuum ab eis incognitus est & indilectus. Et ideo sublimissimorum vita adhuc in ratione & modo permanet. Vnde licet intellectum lymphidum habeant, & omnium rationabilium virtutum discretionem, ipsa tamen simplex speculatio patenti memoria in claritate diuina permanet eis penitus incognita & occulta. Quamuis, inquam, ad Deum erectos se sentiant in vehementi dilectionis ardore,

Luc. 10.

Vnum, cui
vnicè inheret
redū, quod

Matth. 25.

Fidelitas
secretarii
imperfecti

proprietatem tamen sui retinent, nec ad nihilum in amoris vnitatem consumuntur aut comburuntur. Præterea, licet in Dei seruitio semper eligunt viuere, & æternaliter illi complacere, non tamen in Deo mori cupiunt omni proprietati spiritus, & vniuersam cum Deo gerere vitam. Denique, quamuis omne solatium, & omnem requiem de foris accidentale partipendant, Dei tamē dona & opera sua intrinseca magna reputant: consolationē & dulcedinem, quam intrinsecus sentiunt, nimis diligūt, & sic in itinere requiescunt, nec propter prægustandum summam felicitatem in amore nudo, modo carente, plene moriuntur. Et ideo licet exercere possent, & cum discretione cognoscere omnem amatoriam adhesionem, ac singulos internos ascendentes aditus, quos in conspectu Dei possibile est exerceri, remanet tamen eis ignotus excelsus ipse modo carens, ac illud opulentum deuium in amorem supereminens, ubi nunquam reperiri poterit principium, vel finis; ordo, vel modus. Nihil enim aliud amici secreti sentiunt, quam amatorium viuendum ascensum in modo: sed quomodo super omne exercitium per amorem nudum Deus in otiositate possidetur, minimè sentiunt, sed semper ascendentes sunt ad Deum in fide vera, expectantes æternam beatitudinem spe

Amici secreti Dei.

Certificatio ista est intra limites coniectura, vehementer tamen: Ideo certificatio nis nomine & hic & infra pluries vitur auctor. Rom. 8. Filij Dei occulti. 1. Ioan. 5.

recta, anchorati in Deo charitate perfecta. Certificati tamen nō sunt de vita æterna, quia nō dum in Deo sibi ipsi & omni proprietati mortui sunt. Quod si in cunctis operibus omni proprietati renuntiarent, vniuersa spiritu nudo puroque transirent: in qua puritate sine medio agerentur à spiritu diuino, certitudinem quandam capientes, quod essent filij Dei: quia qui *spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt.*

Sexto, sunt quidam hanc inuitationem complectentes sicut filij Dei occulti: quos utique necessarium est, non solum virtutibus viuere & vigilare, sed etiam super omnes virtutes in Deo mori & consopiri, ut felicius in eo renascantur. Pro quo sciendum est, quod licet homines cum nascuntur ex spiritu sancto tunc gratiæ filij sunt, & eorum vita virtutibus decoratur, ac vniuersa Deo contraria vincunt, secundum illud Ioan. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum:* hi tamen hic serui dicuntur, quia necdum in Deo stabilitos se sentiunt, nec de vita æterna certificados. Sed cum nos ipsos excedimus, & in ascensu nostro ad Deum tam simplices efficiamur, quod amor purus & nudus apprehendere nos quiverit in ipsa sublimitate sua, ubi semetipsum exercet super omne exercitium virtutum in nostra scilicet ori-

et origine, vbi spiritaliter nascimur, ibi transformamur, & in Deo nobis vniuersæque proprietati morimur, ac filij Dei occulti effici-
 mur, nouam vitam in nobis reperientes, iuxta illud Apostoli: *Mor- Mortui
 tui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quod vt ex-
 periri mereamur in accessu nostro ad Deum, gesta e debemus nos-
 ipsos, & ante nos opera nostra, velut æternam oblationem Dei, in
 cuius præsentia cuncta deferemus, & in amore moriendo, omne crea-
 rum excedemus, vsq; in supersubstantiales Dei diuitias, & ibi Deum
 in sempiterna nostri mortificatione possidebimus. *O beati mortui,* Apocal. 14-
qui sic in Domino moriuntur, quia permanent feliciter mortui, & à se-
 ipsis in fruibilem Dei vnitatem dimersi, semper in amore de nouo-
 morientes per intractiuam superinformationem vnitatis eiusdem.
 Vnde in accessu nostro cum virtutibus ad Deum, manet Deus in no-
 bis, & ex Deo nascimur; sed in ipsa transitione nostri ac rerum om-
 nium, nos in eo manemus, & morimur. Vbi autem in amore cuncta
 transimus, omni considerationi morientes in quandam inscientiam
 & caliginositatem, ibi agimur & superinformamur ipso eterno Ver-
 bo, quod est imago Patri: ac in otiositate spiritus nostri claritatem
 incomprehensibilem accipimus, quæ nos circumplectens, perfluit
 velut aër vel stella solari claritate perfunditur. Quæ claritas est intui-
 tio quædam & speculario termini nescia. Deniq; quod sumus, aspici-
 mus: & quod aspiciamus, id ipsum sumus, versantes in lumine deiformi:
 quia vita, mens, & esse nostrum simpliciter eleuatū est, & vnitum
 veritati, quæ est Deus. Cui contemplationi semper adhæret exerci-
 tium modi nescium, id est, vita tendens in nihilū. Quia cum simplex
 radius diuinæ claritatis, in qua fundati sumus, illuxerit, continuo nos
 à nobis ipsis in ipsam superessentiam & amoris absorptionem attra-
 hit. Cui absorptioni iuge exercitium amoris modo carens adheren-
 do subsequitur: eò quòd amor otiosus esse non potest, sed scita & gu-
 stu scrutari nititur inscrutabiles diuitias in suo fundo viuentes. Et
 sic inhiare iugiter incomprehensibili, quid aliud est, quàm obnatæ
 fluuii decurrenti? cum deserri non potest, nec apprehendi. Eo care-
 re est intolerabile, consequi impossibile. Nec potest ad plenum fari,
 nec silentio penitus occultari. Nam nos ipsos inspicientes, sentimus
 spiritum Dei nos impellentem in hoc insatiabil: desiderium: sed su-
 pra nos suspicientes, percipimus Dei spiritum trahentem, & ad ni-
 hilum redigentem in ipso superessentiali amore, cui vniti sumus, &

quem rebus omnibus profundius possidemus. Hæc autem possessio est simplex quidam infinitæ profunditatis sapor omnis boni, in quo absorpti sumus in ipsam profundissimam diuinitatis tranquillitatem. Cuius rei veritatem sola docet experientia, ita quod nec ratio, nec exercitatio illud scrutari possunt, vel apprehendere. Et ideo subsequens exercitatio nostra manet erratica & modi nescia, quia bonum illud infinitum, quod gustamus, comprehendere non possumus, vel exercitio nostro attingere. Hinc in nobis pauperes sumus, & famelici, & sitibundi; in Deo verò diuites, saturi, & ebrij. In nobis operosi, in Deo ab omnibus otiosi, sicque semper manebimus, quia sine amoris exercitio Deum nunquam possidere vel retinere valemus.

Quenam impediant quemque, ne perfectionis gradum attingat.

Cap. III.

- Matth. 11. **S** Regnum celorum vim patitur, & soli violenti rapiunt illud, non immeritò admonuit nos Dominus interrogatus, si pauci sunt qui saluantur, dicens: *Contendite intrare per angustam portam, quia, dico vobis, multi querent intrare, & non poterunt:* nimirum eò quòd minimè cum omni diligentia quærunt: quibus licet adest velle naturæ, sed tamen velle gratiæ non ita, quod solum velle vitia excludere nouit.
- Rom. 7. In quorum persona dicit Apostolus: *Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Hinc Christus suis prædixerat: *Sine me nihil potestis facere,* id est, sine spiritu meo: quia teste Iob: *Spiritus eius ornauit calos, & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus,* id est, peccatum. Sed væ desidia temporis huius, cui potissimè conuenit illud Actuum Apostolorum: *Vos incircumcisi corde & auribus semper Spiritui sancto resistitis,* ne scilicet peccatum eliminare valeat, quando minus in omnem vitam perfectionem deuocere? Sicut enim in *Lege veteri* spiritus Domini semper ductor fuerat filiorum Israel ex *Agypto* migrantium in terram promissionis, sic etiam in profectu spirituali, nunc ductor existit vniuersæ Christianitatis. Sed sicut redundanti profusæ largitatis illius, à fragilitate naturæ, digeri vel regi non potest, in his, qui pleurissima voluntate trahunt illius fideliter adherent (sicut dicit Ecclesiastes, *non est in hominis ditione prohibere spiritum*;) sic etiam effectum illius impediunt, qui voluntati eius libero arbitrio, liberaliter non obsequuntur, aut seg-
- niter

niter famulantur. Et ideo tam multi, licet à Deo misericorditer vocentur, & à dulcedine spiritus eius ad omnem perfectionem suauiter inuitentur, miserè desipiunt in infimis prostrati, retro respicientes, & circa minima languente.

Ad cuius euidentiã sciendum, quòd præcipuè septem reperiuntur quæ profectum debitum tam multorum impediunt, ne spiritus scriptiformis in eis plenum & liberum effectum fortiatur, & ad infra scriptam perfectionem anima tam efficaciter inuitata perducatur. Primum igitur vitæ perfectionem impediens est nimia sensualitas, licet tantum in affectu venialium ipsa consistat. Hæc enim omnia naturæ commoda & solatia quærunt effectum, si potest, vel saltem affectum, si aliter non potest, in cibis & potibus delicatis, lectulis mollibus, vestibus curiosis, colloquijs fabulosis, conuiujs gaudijs, & similibus oblectationibus & naturæ sensuali commodis, vt in capite præcedenti de concupiscentia dictum est. Quæ profectò spiritualia exercitia difficilia reddunt & insipida: quia carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: nec inuenitur in terris suauiter viuentium, sed potius muscæ morientes, id est, sensuales oblectationes, perdunt suauitatem unguentis, id est, spiritualis exercitij. Nec mirum, cum etiam mens ipsa vel corporali molestia, vel etiam aliqua de causa spiritali præpedita, si non in amoris motibus vnitiuis in die semel ad diuinum osculum aspirando toto desiderio se extenderit, vix erit quin in seipsa tepida reddatur, & de perfectione mentalis contemplationis aliquid amittat: Quia stat sponsum ad ostium, & pulsat sine intermissione, dicens: Surge, propera amica mea, & veni. Si ergo in expectatione nimia dilectum attardiat, quid mirum, si velut offensus ad tempus se subtrahat? Et licet tam intenso habitu sicut prius eum diligat, suæ tamen delicti pœnam sustinens, cum dolore prosequitur, dicens: Quasi per noctes, quem diligit anima mea. Et bene per noctes quærere se dicit, quia hac de causa mens in suis sursum actionibus impeditur, vt in quem primò lucidè & expedite sine tenebris mouebatur, nunc inuolutam caligine quadam se sentit, ita quòd affectus à cogitatione phantastica in illo, in quem mouetur, separari vix valeat. Vnde prosequitur: Quæsiui, & non inueni illum, in tanta scilicet agilitate affectionum ardentium, vt solebam. Quanto magis cum per inordinationes virium interiorum, aut ineptas delectationes sensuum alibi requiem quærat, à fonte bonitatis mens obliquatur, & obliquata dispergitur: & anima per

Impediens
ta proficiens
di septem.

Sensualitas
contra timorem.

1. Cor. 2.
Iob 22.
Eccle. 10.

Apoc. 3.
Cant. 2.

Cant. 7.

ma per venialia semper aliquantulum offuscatur, & à desiderio, quarens alibi delectari, in frigidatur. Quòd si tales aliquando videntur habere spiritum deuotionis, fictus tamen est & deceptorius, aut potius affectus naturalis, quo quidam facillè se applicant ad quodlibet diligibile. Denique, si spiritus Dei largitate proflua tales visitare dignatur, sciant huiusmodi se recepisse mercedem in presenti. Nec enim talibus visitationibus vti salubriter norunt, in omnibus proprium commodum & oblectationem quærentes. Et hi quidem contrarij sunt dono Spiritus timoris Domini. Non, inquam, illi timori, qui pœnam refugit; sed illi, qui refugit culpam & paternam indignationem. Primus namque licet aliquando manum cohibet, non tamen affectum. Et ideo, vt dicit Ecclesiastes, *Non satis*, id est, non multum, *recordabitur dierum vite sue*, cum *Deus occupauerit cor eius delicias*. Quorum infinitus est numerus, qui scilicet ad perfectionem aspirare videntur, sed sine labore & mortificatione.

Eccle. 5.

Praesumptio-
sitas
cõtra pie-
tatem.

Lucæ 18.
Teme-
rium iu-
diciũ cõ-
tra pietat-
em.

Secundum est nimia præsumptuositas in his, qui iam curam carnis & oblectationes abieciisse videntur, in exercitijs virtuosis seduli, in castigationibus corporalibus austeri. Sed ex hoc efficiuntur vanè gloriosi, ita quòd in conscientia propria reperiuntur elati, & in alienis conscientijs dijudicandis proni, dicentes cum Phariseo: *Non sum sicut ceteri hominum, raptores, adulteri, & velut hic publicanus*. Et exinde (vt in pluribus) redduntur passionibus rancoris dediti, indignabundi, suspiciosi, temerario iudicio pleni: quæ cuncta sunt indicia cauteriata, perturbata, amaricata, & elata conscientie. Et, vt dicit Chrysostomus, Nec facile reperies quenquam; nec patrem familiam, nec claustralem, expertem huius erroris. Sunt enim hæc diabolicæ tentationis insidia. Nam qui seuerè peccata discutit aliena, nunquam priorum reatum veniam merebitur. Hæc ille. Vnde meritò dicit Gregorius, quòd vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem. Et sic contrariatur dono secundo Spiritus sancti, quod dicitur pietas. Quia falsa iustitia tumorem prouocat, indignationem excitat, & sua malitia possessorem efficit peiorem, vana complacencia plenum, humanæ gloriæ cupidum, & in omni conuersatione proprii sensus & capitis, vaneque sciolum. Pietas autem non docet temeraria fouere iudicia, & aliorum vitæ detrectare; sed pie compati in omni angustia, tam spirituali quam corporali, vt plenius videbatur infra.

Ter.

Tertium verò est nimia scrupulositas in his, qui duo prædicta impedimenta conati sunt suppeditare. Quorum conscientiam nec frequens confessio, nec dolorosa contritio, nec rigorosa satisfactio pacificare potest: sed quotidie remanent quasi *vulnerati dormientes in sepulchris*, semper trepidi, nunquam securi. Nam ipsi scrupulositas ducit ad continuam cordis inquietudinem, quandamque melancholicam passionem, humanam naturam squalore corrodentem & tabescere facientem. Et hoc propter modicam in diuina bonitate confidentiam. Neque id mirum, quia licet semper scrupulositate conscientiae & sedulae confessionis laborent, nunquam tamen fideliter ab his, quæ conscientia redarguit, se emendant: & hoc est signum euidentis, quòd non amore iustitiæ, sed magis timore vindictæ cuncta perficiunt. Vnde scrupulositas ista quandoque deducit hominem etiam ad conscientiam erroneam, quod est periculosissimum. De qua dicit S. Thomas super librum 2. Sententiarum, distinct. 39. quòd obligat hominem ad peccatum per accidens, cum scilicet dicat aliquid faciendum esse bonum necessariò, quòd tamen secundum se consideratum fieri non est bonum necessarium ad salutem, sed conscientia errat: tunc ligatur voluntas ad hoc perficiendum per accidens, scilicet ratione apprehensionis, qua iudicatur bonum illud faciendum ad salutem esse necessarium. Si verò talis conscientia dicat aliquid esse faciendum, quòd tamen secundum se est malum, tunc si illud apprehensum ut bonum fiat, peccatum incurritur, quia secundum se malum est: si verò non fiat, peccatum tamen non euitatur, quia ratione apprehensionis voluntas ad illud perficiendum obligatur, virtute diuini præcepti, quo putat illud esse necessariò faciendum. Nam plus obligat dictamen conscientiae, ratione diuini præcepti, quam mandatum prælati. Denique scrupulositas ista ex duobus originem suam

Scrupulositas contra conscientiam.

Psalm. 87.

Conscientia errans.

Scrupulositatem fieri bifariam.

Quartum est affectus inordinatus humani fauoris, laudis, complacentiae, vel amoris: propter quæ conquirenda, conseruanda, vel recu-

Gloriæ vanæ affectus contra fortitudinem.

peranda, quidam plus quàm oportet solliciti sunt, vel ea faciendo, vel in his condescendendo, quæ minus expediunt, aut saltem à via perfectionis retrahunt: vel ea rursus prosequendo, quæ conscientie puritatem inficiunt, eò quòd despici, derideri, non reputari, non diligere, vel ab aliorum familiaritate abijci refugiunt. Nec imitantur illud Apostolicum: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et iterum: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et rectè quidem, quia *qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* Quòd si aliqui inueniuntur qui placere non cupiunt, pauci tamen admodum sunt, qui despici desiderant. Vnde multi propter humanam amicitiam conseruandam, veri profectus infinitam patiuntur iacturam. Qui profectò quarto dono Spiritus sancti, scilicet fortitudinis, contrarij sunt, quo quis omnia extrinseca conculcare & supergredi festinat, vt patebit infra.

Immortificatio circa consilium.

Quintum est immortificatio sui ipsius, cum scilicet omnia prædicta quis supeditauerit, exterioraque cuncta reliquerit, sed nondum semetipsum abnegat in omnibus, studens propriae mortificationi, & diuinæ voluntatis omnimodæ subiectioni. Vnde Dominus: *Nisi, inquit, granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: quia nondum aptificatum est ad recipiendum diuinam in actionem.* Sed qui *vult venire post me,* ait Dominus, *abneget semetipsum,* omnia quæ sunt contraria nature viuaciter complectendo, & eius appetitum secundum moderamen veræ discretionis in omnibus frangendo: & tollat Crucem suam, tam spiritus, quàm carnis mortificationem exercitando, & aduersa singula pro nomine Iesu gaudenter amplectendo: & sequatur me, sine cordis retractione, per quascunque viarum semitas se trahi sustinendo, vt sic verè dicat cum Psalmista: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* scilicet tam in desolatione, quàm in consolatione; tam in gratiæ subtractione, quàm in interna deuotione vel sensione, superabundare & penuriam pati. Alioqui quamdiu ad hoc ipsum se paratum non inuenierit, alicui Dei dono vel aliquantulum inniti comprobatur, & esse contrarius dono quinto Spiritus sancti, scilicet diuini consilij, iudicatur; quo, scilicet, quis omnem propriam voluntatem amoris valetudine superat, & dulcissima reuerentia iugiter ad Deum loquitur, dicens: Non mea Domine, sed tua voluntas fiat in omnibus: sicque fideli & humili amatori diuina voluntas sit summum gaudium, & delectatio maxima felicitas.

Psalm. 56.
& 107.

Philip. 4.

Matth. 26.

cundum spiritus sensationem. Et sic in nobis natura summe suppressitur, & Deus summe exaltatur, & ad suscipiendum omnia Dei dona spiritus amans aptus efficitur, ac prouectius plerunque sublimatur, tam in humili patientia aduersorum, quam in affluentia delectabili operum magnorum, æquali utrobique charitate vigente.

Sextum est in rebus etiam licitis distractiua cordis occupatio, quæ sua consuetudine quandam superinducit animi distemperantiam, & euagationem, etiam tempore quietis vel orationis inuitabilem. Et ideo licet approbetur in Scriptura labor fructuosus, reprobatur tamen nimia sollicitudo cordis, eò quod non sinit inferiores animæ vires ad cordis tranquillitatem & unitatem peruenire: quanto minus à peregrinis impressionibus vires animæ superiores sustinet denudari, ut ipsam mentis serenitatem valeat attingere? Hinc scriptum est, quod nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Et: Qui minoratur actus, percipiet illam, scilicet sapientiam. Vnde dicit Ecclesiastes: Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea, scilicet per sollicitudinem. Cuncta fecit Deus bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum. Sicque sensus humanus infinitis se immiscet quæstionibus & inuestigationibus, quæ sunt ad inuestigandum vtiliora relinquens. Agitque contraria dono Spiritus sancti sexto, ipsius scilicet intellectus, de quo videbitur infra.

Septimum denique est, pura intellectualis exercitatio, quæ virtutem amatiuam veluti dominam suam præuiam non habet. Tunc enim (ut in pluribus) intellectus noster exercitatus, ipsam curiositatis & nouitatis aut vanitatis oblectationem comitem habet. Nec huiusmodi exercitatio veram redolet diuinam allectionem aut aspirationem ad diuini complexus vnionem, sed potius semper quandam experitur à Deo separabilitatem & alterietatem, eò quod flammigeras aspirationes hanc felicissimam vnionem præcurrentes penitus ignorat. Vnde conqueritur Ecclesiastes, dicens: Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Et ideo quanto tales plus proficiunt in contemplatione, tanto plus deficiunt in capitis euacuatione. Nam tria sunt, quæ præcipue deducunt hominem ad amentiam. Primum, est nimia scrupulositas in sua vel aliena conscientia, reuoluendo, dijudicando, suspicando, malè interpreando, protinus indignando: de quibus iam dictum est. Secundum, est indiscreta corporalis austeritas, præsertim in nimia sub-

Occupatio
cordis in li-
citis nimia
contra in-
tellectum.

2. Tim. 2.
Eccl. 38.
Eccl. 3.

Curiositas
intellectus
contra sa-
pientiam.

Amentiam
inducuntia.

Rom. 12.
Prou. 25.

tractione somni vel cibi. Quare dicit Apostolus: *Rationabile obsequium vestrum*. Tertium, est ipsius intellectus nimia curiositas inuestigando & ratiocinando: *Quia qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*. Si igitur occupatione salubri vim suam intellectiuam exercitare voluerit, faciat ipsam velut pedissequam vim amatiuam subsequi, vt nihil in sua contemplatione requirat, nisi quod inflammationem mentis ac vnionem spiritus redoleat & excitet. Alioqui cōtraria erit dono septimo Spiritus sancti, scilicet dono sapiētiae, quae sicut intellectus ad agnitionem, sic ipsa sapientia ad degustationem aspirat: nō vtique quamcumque degustationē, sed ipsius charitatis, quae palatum est ipsius spiritus, vt postea videbitur.

De preparatione actiuae vitae, & moralis. Cap. IIII.

Mal. 48.

Sapient. 2.

Visioni spiritali tria necessaria.

Matth. 5.

Increata Sapientia licet super vniuersa creata radios suos, veluti quaedam indicia sapientiae suae, diffuderit, ampliori tamen priuilegio propriam imaginem animabus humanis eleganter impressit, secundum muneris sui largitatem. Sed *homo cum in honore esset, non intellexit*, quinimò & sapientiae lux infusa diuinitus, per peccati tenebras & caligines occupationum temporalium obtenebrata fuerat, eò quod *excacauit illos malitia eorum*. Vnde ad preparationem debitam actiuae vitae, visio spiritalis est nobis necessaria, ne caecitate multetur aeterna. Ad cuius visionis excitantiam, sicut ad corporalem, tria praecipue requiruntur. Primum, est lumen medium visionis, aërem scilicet illuminans: per quod intelligitur infusio luminis gratiae gratis datae vel praecurrentis. Et haec omnibus communiter datur, vt sic omnibus excusationis velamen auferatur. Vnde, sicut Pater caelestis *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*: sic in omnes gratiam gratis datam diffundere non cessat, licet in omnibus aequaliter non operetur. Quidam enim, vt arbores malae, fructus agrestes afferunt, eò quod furculos & ramulos malos, id est, vitia amputare non curant, vt bonorum fructuum furculi inferantur, & gratia gratum faciens acquiratur. Dum autem haec gratia praeueniens ad introductionem gratiae gratum facientis efficaciter negotium suum exequitur, tunc anima prauis desiderijs resistere inducta, veluti diuino timore trepida, reatuque propriae conscientiae pauida, cogitat quid agere debeat: & in ea protinus nascitur peccatorum displicentia, ac naturalis quaedam beneuolentia. Ibi que praecurrens gratia summis innixa viribus gradum sistere cogitur: attritoque corde, & omnifarè quòd in se est

se est faciente, nec progredi propria virtute valente, restat diuinæ bonitati negotium, utcumque inchoatum, consummandum. Quæ scilicet præclarum illud lumen gratiæ gratum facientis, animæ sic attritiæ, nullis dignis meritis præcedentibus infundit. Nam hoc lumen Deus, quem nulla attingunt merita, per semetipsum infundit, cognitiuas & affectiuas animæ vires illuminans & compungens. Et hic est consummatio gratiæ præcedentis, & initium subsequentiæ. Et hoc est lumen supernaturale, quod diximus ad visionem requiri spirituale. Secundum autem, est voluntas videtis speciem visibilem in oculis imprimi permittens, per quod intelligitur motus liberi arbitrij in Deum. Secundum, in quâ, non tempore, sed natura. Quia cum animæ gratia infunditur, simul etiam subito liberum arbitriū in Deum mouetur: ex qua scilicet vnione animæ cū Deo charitas oritur, quæ vinculum amorum est & nexus amoris. Tertium denique est oculorum puritas, ut eis materialium rerum species intentionaliter, seu spiritualiter imprimi possint. Per quod intelligitur emanatio conscientia, quæ fit per motum liberi arbitrij in peccatum per detestationem. Nam charitas, nullam patitur in conscientia peccati maculam residere, quia solum sua existentia multitudinem operis peccatorum, & informem attritionem commutat in perfectam contritionem. Contritio verò mox lachrymis, & dolore conscientiam abluit, & odio peccati, beneque viuendi proposito, nuda, simplici, & non ficta confessione, vitiorum virus euomere festinat, bene recolens illud Psal. *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui scit iubilationem.* Hæc duo præcipue fideliter exequi non fastidit, ut ad tertium tantò perfectius peruenire mereatur. Ad confidentiam ergo diuinæ misericordiæ sic peruenire debet, ut in se primò diuinū iudicium exequatur, & quantum prius per delectationes vitiosas defluerat, tantum nunc de eisdem peccatis doleat: & quantum auertendo se prius à Creatore suo per mortale peccatum ipsum contemnendo recesserat, tantum eidem humiliter se substernendo secundum sui totalitatem liberaliter offerat, ut sic in nouum quendam gratiæ statum renascatur, ac illi, qui summa maiestas est, & indeficiens bonitas, per vnitiuum amoris glutinum sensim vniatur. Nam solus amor illum ad spem veram, & firmam confidentiam erigit, diuinæ misericordiæ, bonitatis, largitatis, & familiaritatis, quem nulla virtus alia, nulla quantumcunque ardua penitentia perfecte erigere potest. Et nihil vtique tam neces-

Arbitrium liberum.

Conscientia mundatio.

1. Pet. 4.

Psal. 39.

Confidentia.

Sap. 1.

sarium ad perfectionem proficere volenti. Vnde Sapiens: *Sentire, inquit, de Domino, in bonitate*. O spes sancta, o fidelis confidentia, dummodò non prouocet ad incuriam vel ignauiam, sed magis aspiret ad diuinam gratiam, confurgat ad beneuolentiam, incitet ad amorem, excitet ad gratitudinem, alliciat ad perfectionem, deserat grata, arripiat ardua, sustineat aduersa. Veruntamen, ipsam veritatem iustitiæ sic exequi conuenit, quòd licet de diuina misericordia, & peccatorum uenia firmiter speret, & confidat, in seramen iustitiæ ueritatem profectum & indignum humillimè prosternedo, præteritam ingratiudinem dolorosè confitendo, diuinam longanimitatem exaltando. Ibiq; totis præcordijs omnem uoluntatem suam transfundat in Deum, tam in aduersis, quam in prosperis, in omnibus se lætum & pacatū exhibens, & ad omnes se flexibilem, mansuetum, & beneuolum ostentans.

Discessio
propria.Incipientibus Deo
uiuere forma.

Ceterum, ut incipientibus, & simplicibus formula detur, discat gerere cor flexibile ad omne bonum, & in abyssali humilitate fundatū: pro quo quotidianis exercitijs tribunal illud diuinum adeat, & delicta præterita recolendo desseat peccata, præsertim maiora, generaliter saltem, prout potest, coram Deo, quasi colloquedo recitet, & enumerando suspiret, debitoque tempore nuda & pura cõfessione deregat, Deum in omnibus exaltando, se uero in omnibus deprimendo, accusando, & ueniam exorando, formans ad hoc orationes debitas ac iaculatorias, suspirans, & lachrymans. Quia sicut lima operatur in ferro, ita quòd in qualibet sua cõfricatione, aut deratione, de ferri rubigine modicum quid deradit: sic nimirum quodlibet suspirium aliquid de rubigine peccatorum efficaciter demit, & eliminat: Sicque magis ac magis se purgans, ad percipienda, quæ ratio non inuestigat, & intellectus non speculatur, diuino subsidio sustollitur. Peccata tamè carnalia magis succinctè recolat, ne ei diabolus id regerat ad delectationem, unde debuisset accipere medicinam. Porro dolorem pro peccatis sic ordinet, quòd potius desseat diuinam offensam, & inhonationem, quam proprium dispendium, & perditionem. Congerat pariter diuinam largitatem & propriam ingratiudinem, diuinam diligentiam, & propriam negligentiam. Deinde diuina recolat beneficia tam ingrato ex sola liberalitate collata: In creatione, qua nos fecit ad imaginem & similitudinem suam: In incarnatione, qua se dedit in imaginem & similitudinem nostram; In conuersatione, qua laborauit ad instructionem nostram;

Suspiriū p
peccatis.Desendum
quidnam
in peccato.Beneficia
Dei.

nostram: In passione, qua desudavit ad redemptionem nostram. In mansuetissima longanimitate, qua tam patienter expectat emendationem nostram, & sustinet peruersitatem, & execrationem nostram. Et in his omnibus eius infinitam bonitatis clementiam attendens, confurgat ad veram confidentiam sine hesitatione diuinam postulando gratiam.

Verum, ut omnium meditationum discretio vtrunque habeatur, <sup>Meditatio-
nū gradus.</sup> sciendum est, quod quanto meditationes ab ipso timore per dolorem & displicentiam procedentes in purissimam & intensissimam charitatem profecerint, tanto sunt nobis vtiliores, propria virtute efficaciores, diuina gratia vberiores, ipsi Deo gratiores, ad purgationem aptiores, & ad perfectionem viciniore. Et ideo illae meditationes iudicantur infirmae, quae solum timorem incutere solent, sicut mors incerta, purgatorij pena, districtum iudicium, & infernale supplicium, quibus occupari debent, qui nondum gloriari didicerunt, & in quibus concupiscentia mundi nondum extincta est, quibus denique minima respiratio latitiae occasio fit ruinae. Et horum quidem timor plerumque seruilis est, & ad modicum vtilis, comprimens quidem manum, sed non affectum, quos liberet adhuc peccare, si liceret impune. Disponit quidem ad gratiam, sed insufficientis est ad veniam. Ad timorem enim initialem deducit, qui principium est omnium donorum, sub esse tamen imperfecto diuinum amorem introducens. Secundus vero gradus meditationum in his consistit, quae dolorem, pudorem, humiliationem, & auersionem inducunt, sicut recordatio peccatorum, in qua se in principio occupare debet, cum Psalmista dicente: *Lauabo per singulas noctes, id est, Psal. 6.
iniquitates, lectum meum.* Et cum Ezechia: *Recogitabo tibi omnes an- Isaia 38.
nos meos in amaritudine animae meae.* Quem tamen dolorem & lachrymarum effusionem, per intentionem rectam * ordinare debet, non tantum ponderando proprium dispendium, proprium periculum, <sup>* Aliā ad-
ornare.</sup> exteriorem confusionem, temporalium amissionem, aut felicitatis suae dilapidationem, quantum diuinam indignationem, gratiae amissionem, & ingratitude maculam. Et haec ita continuare debet in principio, quousque superradiante diuino lumine, sibi videbitur expedire. Postquam enim in propria mortificatione se senserit proficere, mundum sibi vilescere, carnem deficere, & spiritum sursum aspirare, paulatim incipiet animum suum erigere, & ad diuinam dilectionem ac vniōnem dulciter & fortiter anhelare. Sicut enim videmus in aedificiis arcuatis, quod ligna prius supponuntur, ut sic muri firmi-

Rrrr

tas su-

tas superadificetur: quo perfectè adificato accōsummato, ligna sup-
 posita penitus amouentur: sic & mens nostra, cum in amore primò
 imperfecta consistat, per diuersas meditationes ad amorem vnitium
 consurgere debet, & id aspirando potius, quàm cogitatio, prout postea
 videbitur. Cùm autem per continuum exercitium in amorem vni-
 tium confirmata fuerit, & vtitata, ac per multas flammigeras affe-
 ctiones supra se dextera dilecti sui subleuata, tunc citius, quàm exco-
 gitari potest, sine cogitatione prauia, vel concomitante, quotiescunq;
 placuerit, in Deum afficietur, innumerabilibus desiderijs ad ipsum so-
 lum possidendum aspirando. Et huius ædificij salutiferi fundamentū
 in principio substernendum est, vt omnis perfectionis semita, com-
 pendiosa inueniatur. Postquam igitur aliquanto tempore vitam pri-
 stinam anxius deplorauerit, in quotidianis duo præsertim attendere
 debet, ne scilicet ad recolenda vitia pristina nimis insistat, vel ad quo-
 tidiana reuoluenda, deploranda, confitenda nimis se deiciat, aut men-
 tem occupet & interturbet. Nam omnis peccatorum rememoratio,
 quam concomitatur quædam delectatio vitiosa, vel desperatio peri-
 culosa, vel pusillanimitas, aut scrupulositas conscientiosa, protinus re-
 sciendenda est, eò quòd affectum extinguit, animum deprimit, famili-
 aritatem alienat, mentem obnubilat, & à contèplatione reuocat. Nam
 tales remanent quasi *dormientes vulnerati in sepulchris*, suis dolorosis
 contenti latibulis: nec, quandiu sic perseverauerint, vnquam ad lucem
 diuinæ contèplationis assurgere praualent, eò quòd animum con-
 templantis ab omnibus otiosum & liberum esse oporteat. Confitea-
 tur igitur, & recolat peccata sua succinctè, ita vt eorum displicentiam
 exerceat indirectè, per vigorosam scilicet conuersionem in diuinum
 amorem: in qua nimirum conuersione displicentia venialium impli-
 citè continetur, quia ex hoc illi displicet omne quod retardat, & re-
 trahit ab amore perfecto, multo què efficacius per amorosam in Deum
 conuersionem delectentur, quàm per directam contritionem. Et hæc est
 industria felicissima, à paucis admodum frequentata. Secundò dili-
 genter attendat, quòd in quotidianis affectum venialium funditus
 eradicet, quoniam hæc est emendationis semita Deo gratissima. Ali-
 ud est enim ex occasione, & infirmitate, & aliud ex affectione in ve-
 nialia labi. Nam quia fragiles sumus, omnia venialia cauere non pos-
 sumus, quàmquam bene omnes affectiones vitiosas eradicare valeamus,
 siue sint inepta lætitia, siue vana gloria, vel propriæ complacentiæ, &
 similia.

Vitia quo
 modo re-
 colenda.

Psal. 87.

Peccata
 quatenus
 confitean-
 da.

Affectus
 venialium
 peccatorū
 referendus.

similiū. Sed ad incepta redeamus. Fundamentum igitur aspirationis huius, & amorosa consurrexionis erit memoria seruida Domini passionis, & hic est tertius gradus meditationum. In hac autem passione, secundum Bernardum, cogitare debemus opus, modum, & causam. Opus, inquam, quātum ad inexpressibilem acerbiteriam ad compatiendum, ut congloriamur. Modum autem, quātum ad ineffabilem benignitatem, ad imitandum, ut assimilēmur. Causam denique, quātum ad intensissimam charitatem ad redamandum, ut uniamur. Et primum quidem bonum est, secundum melius, sed tertium est optimum; quia ducit ad quartum gradum meditationum, id est, ad purissimum charitatis exercitium. Sicque per viam compendij totius vitæ perfectionem celeriter quis apprehendere poterit, si saltem in his, quæ dicta sunt, se strenuè, constanter, & discretè exercitauerit, licet, pro pudor, multis videatur difficile, & paucis sit amabile: multisque videatur impossibile, eò quòd, contemptis semitis, vias quidem duras & laboriosas ambulant, sed tortuosas, ac per hoc ad optatum finem minime deducentes, pusillanimitatem nō auferentes, nec veram confidentiam ingerentes, sed plerunque in via deficere facientes, ita quòd posteriora illorum sunt peiora prioribus. Denique, nec facile quis adeptū se putet aliquam sanctitatis perfectionem, si forte per amorem sensibilem, & oblectationem in terrenam, eidem gratia diuina frequentius aridere videatur: quia multæ sunt affectiones, quæ sunt innati appetitus ipsius naturæ, & volūtatē propriæ, aut certè proprii sensus, & nouitates curiosæ, quæ quandoque reputantur magna sanctitatis indicia. Nam præsertim citra annum 40. multū inclinabilis est natura, & inconstans, & affectuosa, quærens sæpius in suis exercitijs commodum spiritualis saporis: & oblectationis, ipsa tamen ignorante natura. Sicque talium conuersatio non est pura, sed affectionibus naturalibus, & diuersis imperfectionibus admixta, & infecta. Et ubi vitam cælicam, & spiritualem fouere se putat, ibi propriam, & immortificatam voluntatem, & nudā naturam pascit & confortat, nisi potiori desiderio fideliter insistat propriæ mortificationi, ac diuinæ assimilationi, tam secundum diuinitatem, quàm secundum humanitatem, in penitentia operibus, sanctis exercitijs, & ignitis desiderijs carnalem vitam trucidando, terrenam oblectationem, vanitatem, & omnem otiositatē cōculcando, cūcta diuinæ iustitiæ contraria deuincendo, amorem purum, & intensum in dilectum subuehendo, ac omnem propriā voluntatem in diuinū beneplacitū.

Passionis
Christi me-
ditanda
opus.

Modus.
Causa.

Lucæ 11.
Profectus
notitia.

Naturæ in-
stabilitas.

neplacitum nudè constituendo. Infiltrat, inquam, felicissimæ diuinæ vnioni flammigeris affectionibus, non quidem in donis, & oblectationibus turpiter residendo quiescens, sed omnium datorem in illis, & super illas, summa cum intentione requirens.

Seruū mercenariū efficiuat quæ.

Hæc tria sic intelligenda sunt, vt peruerso amore finem se constituat homo sui ipsius, paratus peccare, si poenā nō timeret, de quibus operibus superbiens.

Nam tria sunt, quæ faciunt hominem in diuino seruitio mercenarium, & reprobatione dignum. Primum est, quod in omnibus exercitijs semetipsum & proprium lucrum querit, aut proprium damnum refugit: propter quæ duo ferè cuncta facit, vel dimittit: ita quod multa bona fortiter ac voluntariè perficere possit proprijs commodis vel incommodis intendendo. Nam quidam omnia terrena despiciunt, habitum religionis assumunt, cuncta aduersa lætanter sustinent, vt cælestia regna adipisci, vel æterna supplicia effugere mereantur. Nimirum cum & Platonis, vt fertur, discipulus, audita felicitate futuræ beatitudinis, ex alto præcipitem se dedit, vt illam consequeretur gloriam: cuius præcelsum præconium, à viro gentili tam dulciter ingestum audierat. Secundum est, quod vniuersa opera sua, & exercitia quasi magna reputant, potius in operibus proprijs, & virtutibus sperantes, quam in ipsa libertate filiorum Dei, quam sanguine suo pretioso dulcissimus IESVS comparauit. Tertium est, quod nisi præmium à Deo se recepturos sperarent, nunquam tam fideliter suis obsequijs illi deseruirent. Plus etiam timentes fulminationem æternæ dānationis, quam indignationem dulcissimi patris: plus quoque affectantes adipisci æternam gloriam, & propriam salutem, quam Dei laudem, honorè, gloriam, & eius liberam, in obsequijs nostris, seruitutem. Tales igitur seruilis conditionis sunt, & à diuina charitate penitus intacti, quæ nunquam querit quæ sua sunt, faciens hominem seipsum contemnere & despiciere, in Domino verò sperare & confidere.

De ornatu vitæ actiuæ per virtutes morales. Cap. V.

Nunc autem ordine debito ea prosequamur, quæ necessaria videntur ad ornatum actiuæ vitæ & moralis. Pro quo sciendum, quod in homine triplex est vnitas naturalis, quæ supernaturaliter ab electis possidetur. Prima est vnitas essentiæ, qua scilicet homo, cum cæteris creaturis, Deo tanquam primariæ causæ naturaliter coniungitur: *quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso, per creationem ex nihilo essentialiter emanata: per ipsum, in esse conseruata: & in ipso, tanquam in mente artificis idealiter videntia. Vnde naturaliter omnem hominem comprehendit siue bonum siue malum.*

Vnitas essentialis hominis. Rom. 11.

Iam, nec tamen illum beatum efficit, nisi ad causam, unde emanauit, per gratiam & liberum arbitrium reflectatur. Secunda est vnitas mentis, quæ est naturalis origo virtutum intellectiuarum, ex qua, tanquam ex centrali puncto spiritus, intellectuæ vires potentialiter oriuntur, scilicet intellectus, voluntas, & memoria, quibus omnes actiones spirituales perficiuntur: & propter hanc partem anima spiritus appellatur. Tertia est vnitas cordis, quæ est omnium sensitiuarum potentiarum collectio in vnico & quali centrali organo cordis, quod est principium & radix totius vitæ & sensualitatis. Nec tamen ob hoc hanc vnitatem à priori discernimus, vt essentiam animæ diuidamus, sed quia anima verè simplex & vna, & ab omni materialitate libera, sic corpori coniuncta est, velut eius verissima forma substantialis, & motor, ita vt quasdam potentias habeat separatas, impermixtas, & ab omni organo liberatas, quibus suo principio similis, ipsum agnoscat, memoretur, & diligat, ac per has separata totaliter (cùm tamen sit indiuisibilis) spiritus, suo principio consimilis nominetur. Quasdam verò regendo corpori, & alijs vtilitatibus, quas per corporis instrumenta consequitur, accommodas, corporeis habeat organis affixas. Et ob has in principali organo, scilicet corde residens, ab animando anima nuncupetur. Et hæ tres vnitates naturales in homine sunt, quasi vna vita & regio, tribus distincta palatijs, quæ per gratiam supernaturaliter ab electis incoluntur. Nam infima regio, scilicet cordis vnitas, exteriori exercitatione moralium virtutum inhabitatur & ornatur, iuxta formam vitæ Christi, & Sanctorum eius, tam in agendis, quàm patiendis. Secunda regio, scilicet vnitas mentis, vel spiritus, supernaturaliter incolitur, & insignitur tribus virtutibus Theologicis affluentiaque donorum & gratiæ Dei, ac ingenua benevolentia ad sequelam Christi in omnibus suis consilijs. Tertia denique regio, scilicet essentia nostræ vnitas, quodammodo captum nostri intellectus excedens, & quodammodo tamen in nobis essentialiter existens, tunc à nobis supernaturaliter possidetur, cùm in omnibus virtuosis actibus, solùm Dei laudem & honorem intendentes, & tam nos ipsos, quàm intentionem nostram, & omnia transcendentem, in Deo, tanquam in centro proprio, per amorosam vnionem quiescimus. Hæc est enim illa vnitas, ex qua creationis profluvio naturaliter emanauimus, & in qua semper essentialiter manemus, & ad quam amoris gressibus reintramus.

Vnitas
mentis.Vnitas
cordis.Anima
vnde.Vnitatum
naturalium
animæ ra-
tio.

Rrrr j

Quæ

Vainitatum
animi naturalium
operationes.

Humilitas
quid.

Obedientia.

1. Pet. 2.

Quæ nimirum vnitates, aliter ornantur in vita actuali, aliter in vita spiritali, & aliter in vita supereminenti. Nam in activa vita principaliter ornantur perfectione virtutum moralium: quarum solidum & primum fundamentum est humilitas, supra quam virtutum genealogiam texere cupientes, eius progressum prius edifferemus. Est igitur humilitas profunda cordis in conspectu diuinæ maiestatis inclinatio. Nam aduertens humilis amator Christi, tam potenter, excelsum & diuitem, tam vili & pauperi homuncioni, tam fideliter & humiliter in tanta paupertate seruiuisse, mox in eius corde tanta nascitur diuinæ magnitudinis reuerentia, quantam nec verbis explicare, nec indicijs sufficiat demonstrare: & ideo Christo nequit honores suo desiderio sufficientes impendere, vel sese satis vilipendere. Quò fit, vt in diuini honoris exhibitione, & humilibus obsequijs se semper deficere queruletur. Siquidem diuinæ magnitudini reuerentiam exhibere, extrinsecus quidem humilibus obsequijs, intrinsecus verò reuerentibus inclinationibus, primus actus est & acceptissimus humilitati, suauissimus charitati, & decentissimus æquitati. Hæc est enim in homine viuæ & intima radix, qua nos in Deo, & Deus nobiscum, iuxta sinceram pacem viuimus. Quia per illam nos Deo, præceptisque illius, & omni creatura subijcimus propter Deum, quæque vilissima & infima nobis ascribentes, nec cuiquam virtutibus nos comparare præsumentes, sed pedibus omnipotentis diuinæ totius, velut inutiles & pedum pulueres ad nutum sumus subiecti, ad omne beneplacitum Dei nos dirigentes. Hæc est autem beneplacita Dei voluntas, sapientiam mundi contemnere, & Dei sapientiam imitari in omni perfectione virtutum. Et ideo humilitas suam primogenitam parit obedientiam, per quam solam humilitas vera comprobatur. Est autem obedientia flexibilitas submissæ voluntatis, & ad omne bonum infatigabili animi promptitudo, qua suo ordini inserit vniuersa. Nam carnem spiritui, & spiritum suo subigit Creatori, subiectumque facit *omni humane creatura propter Deum*, sed non præter, aut eontr. Deum. In dandis quoque consilijs, auxilijs, & obsequijs, tam corporalibus, quàm spiritalibus, promptum & hilarem exhibet se, prout salua discretionis regula, vnicuique nouerit opportunum. Obedientia suum amatorem inferioribus reddit imitabilem, aequalibus socialem superioribus amabilem, Deo acceptabilem, & ab eo exaltabilem, atque æternis gratiæ donis ditabilem. Hæc autem generat abdic-

dicationem propriae voluntatis, & proprietatis. Nullus enim suam
 potest in alterius tranfondere voluntatem, nisi qui matris obedi-
 entiae fuerit vberibus ablactatus, quamuis saluo propriae voluntatis do-
 minio, posset quis exterioribus actibus alienis se voluntatibus con-
 formare. Propriae voluntatis abdicatio prohibet possessorem specia-
 lem viuendi modum, vitis Sanctorum, & doctrinis dissimilem vsur-
 pare. Et per eam in agendis & patiendis, omnis occasio superbiae pe-
 nitus annihilatur, & humilitas in summo gradu consummatur. Dei
 voluntas proprio dominio fungitur, & hominis voluntas diuinæ vo-
 luntati sic vnitur, quod contrarium velle, vel optare quodammodo
 nequeat. Ex ipsa denique suboritur poenarum & dolorum omnium
 voluntaria perpesio. Spiritus enim Domini, spiritum humilis con-
 tingens, attrahit, & intrahit, & totum ferè confumit. Itaque propriam
 voluntatem abnegat, & Deo se liberè resignat, vt non aliam suam vo-
 luntatem vel libertatem pater, quàm Domini sui voluntatem. Et
 tunc *Spiritus Dei reddit testimonium spiritui nostro, quod filij Dei sumus.*
 Et sic summa libertas, & profundissima humilitas, in vna simul
 persona coniunguntur. Abdicatio proinde propriae voluntatis
 patientiam parit, quæ est omnium accidentalium Dei permissione pa-
 cata tolerantia. Nam verè patientem non contristat quicquid ei acci-
 derit, siue temporalium bonorum, aut amicorum amissio; siue mor-
 borum, aut scandalorum incurfio; siue vita, siue mors; purgatorium,
 infernus, & similia: quin verae charitatis imperio, diuinæ sese per om-
 nia subiiciat voluntati. Vnde, quia etiam de mortali peccato conscien-
 tia non accusat, Jene est ei quicquid Deus tolerare iusserit, siue tem-
 porale fuerit, seu æternum. Et sic per patientiam mirificè decoratur.
 Neque id mirum, quia voluntaria patientia in poenis cum beneuo-
 lentia Christo vestis extitit nuptialis, cum in ara crucis sanctam sibi
 desponsauit Ecclesiam. Patientia verò miritatem generat, quæ pos-
 fessori suo pacem de omnibus pollicetur: quia *mansueti hereditabunt
 terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Mititas autem est in pa-
 tientia tranquillitas, per quam vis irascibilis quasi silentio quodam
 immobilitatur, & concupiscibilis virtutibus sublimatur: quod ratio-
 nalis aduertens latatur, & conscientia tantæ dulcedinis gustu pace
 mirifica tranquillatur. Et sic gaudenter sustinet dura verba & verba-
 ra, omnemque illatam iniuriam. Mititas autem benignitatem gignit,
 quia *solus mitis verè benignus est.* Benignitas enim iratorum animos

677
 Voluntatis
 propriae
 abdicatio.

Rom. 8.

Patientia.

Matth. 22.

Mititas.

Psal. 36.

Benignitas.

blanda humanitate, dulci affabilitate, & pijs actibus emollire nititur, ubi spes spondet effectum. Per benignitatem charitatis fructuositas coalescit: quia anima benignitate referta, est quasi lampas oleo plena, errantibus lucens bonis exemplis, desolatos vngens blandis alloquijs, iracundos medicans pijs verbis & obsequijs, virtutibus pingues accendens ardore charitatis: non odijs, vel invidentijs alienis, vitrea fragilitate tabescens, sed fraternæ dilectionis adamantina firmitate condurefcens. Benignitas autem compasione parit, quia necessitatibus omnium benigna compatentia condescendit. Est enim compasio ad omnem necessitatem pia cordis commotio, quæ primò verum Christi militem regi suo tam crudeliter occiso compati facit, imprimens eius menti tam necessariam mortis causam, tam piam & promptam patiendi voluntatem, dura verba, duriora verbera, durissima mortis supplicia. Quorum amara recordatio pium cor lachrymosa compasione concutit, & Christi dolorosa dilectione con crucifigit. Secundò, compasio proprias attendere suadet negligentias, miserias, & defectus, teporem, & pigritiam, inutilem temporis amissionem, & tantam in omnibus virtutibus pauperiem. Tertio, suadet multifaria proximorum perpendere errata, Dei & propriæ salutis parvipensionem considerare, divinorum beneficiorum tantam ingratitudinem reuoluere. Quorum intuitu compungitur, & desiderio salutis omnium inflammatur. Quarto, suadet inspicere corporales necessitates omnium & singulorum: quorum attentio benignam animam pia compasione cruciat. Vnde sola compasio præ cæteris à datore virtutum omnium hoc fungitur officio, quòd omnium necessitatibus pijs visceribus misereatur, & condoleat.

Largitas.

Quæ compasio largitatem parit, quæ est liberalis effusio cordis, charitatiua compasione permoti. Et solus compasione misericors, superna: rualiter communi charitatis feruore siue fauore largus est. Rememorans enim Dominicæ passionis, & pietatis ineffabilia beneficia & tormenta, tanta se largitate pro qualicumque vicissitudine tam mirandæ charitatis profundat, vt pro singulis articulis tam amari martirij, laudem, honorem, & reuerentiam rependere desiderat. Recolensque propriæ miseriam, negligentiam, ingratitude, & tarditatis; diuinæ quoque patientiæ, clementiæ, longanimitatis, & fidelitatis, toto mox spiritu diuinæ largitati sursum assurgit obuiam, voluntate perpetua prodigam offerens seruitutem. Recolens autem errores proximo-

ximo-

proximorum innumeros, rivulum suae largitatis, ad locum vnde exijt
 mox reflectens, divinae bonitatis munificentiam pijs clamoribus in-
 terpellat. Demum, multiplicem corporalem indigentiam in proxi-
 mis suis attendens, unicuique iuxta suam facultatem subuenire con-
 tendit. Ex ea namque septem opera misericordiae profluunt: à diuiti-
 bus quidem obsequijs, & facultatibus; à pauperibus verò pijs fauo-
 ribus, & voluntatibus. Per quam largitatem virtutes multiplicantur,
 animae vires decorantur: quia largus semper est spiritu latus, corde in-
 sollicitus, affectu profusus, & pijs aëribus vniuersis communi charitate
 beneuolus.

Opera mi-
sericordiae.

Largitas autem quandam supernaturalem parit in operibus virtuo-
 sis diligentiam, & strenuitatem: quam nemo sic assequitur, vt is, qui
 ex intima largitate misericors esse probatur. Est enim strenuitas ad
 opera virtutum exercenda quadam inquieta cordis alacritas, vitae
 Christi, & Sanctorum eius impigrae mulatrix. Cuius strenuitatis sti-
 mulis quis agitatus, corpus & animam; esse, & viuere, vires, & opes,
 diuinis operat laudibus, & honoribus mancipare. Per hanc supernatu-
 ralem strenuitatem animae vires ad susceptionem influentiae diuinæ
 explicantur, seu dilatantur, & ad virtutum actus vegetiores reddun-
 tur. Exhilaratur conscientia, augmentatur gratia, virtutes delectabi-
 lius, & iucundius exercentur, & opera quoque exteriora decore ma-
 iori venustantur.

Strenuitas.

Strenuitas hac temperantiam seu sobrietatem generat, qua nemo
 tam pollet, quam strenuus & corporis & animae iuxta iustitiae regu-
 lam gubernator. Sobrietas autem potentias intellectuales, animales,
 & corporales, ab omni superfluitate restringit, nolens scire, vel sape-
 re quae non licent, *sed sapere ad sobrietatem.* Incomprehensibilis
 quippe est Dei natura, creaturam excedens vniuersam, sic quod om-
 nis creata capacitas angusta est comprehendere deitatem. Sed vt
 intellectualis creatura, diuinam essentiam videndo cognoscat, & a-
 mando fruatur, necesse est eam diuino lumine supra se subleuari, &
 in Deum aëris dulcedine trahi, quò sic Deum sua ipsius capaci-
 tate comprehendat. Qui ergo scire volens, quid sit Deus, *scrutator* fie-
 ret *maiestatis*, oppressus a gloria, in amentiam forsan labietur: quia
 deficit omne lumen naturale creatum, à nuda visione diuinæ essen-
 tia. Articuli quoque fidei, non rationis indagine discutiendi, sed
 assertionem firmissima simpliciter credendi: quia *nunc tantum vide-*

Sobrietas.

Rom. 12.

Prou. 25.

1. Cor. 13.

mus per speculum in enigmate. Scripturarum obscuritates non sunt ad priuatam opinionem detorquendae, sed iuxta Christi & Sanctorum vitas, & doctrinas fideliter intelligendae. Ex Scripturis etiam, & creaturis id solum accipiatur, quod ad salutem expedire quomodolibet comprobatur. Et ita negotium spiritualis sobrietatis expedietur, per quod fides firmiter custoditur, intellectus depuratur, ratio ad veritatis intelligentiam quietatur, voluntas iuxta diuinæ voluntatis beneplacitum ad opera virtutum facile flectitur, pax cordis inconcussa seruetur, & conscientia ab omnibus scrupulositatis nexibus extricator, quibus omnibus tam in se, quam in Deo pax stabilis possidetur. Secundò, sobrietas in sensibus est seruanda, & potentiae bestiales rationis moderamine sunt compescendae, ne scilicet appetitus bestialis super escam, & potum, se nimium effundat; sed vt esuriens sic sumat alimentum, sicut aeger medicinam: & sic corporis sanitas conseruetur, conuersatio honestatur, & fama nomenque bonum fragrantiam sanctam emittit. Hæc etiam seruanda est in actibus, & verbis; in colloquijs, & silentijs; in operationibus, & cessationibus, iuxta sanctorum Patrum dicta, & exempla.

Castitas.

Hæc autem & mentis, & corporis sobrietas generat castitatem, quam alius nemo, nisi verus fuerit sobrius, perfectè possidere potest.

Corporis.

Qui etiam in triplici gradu distingui potest. Prima est castitas corporis, quæ docet ab omnibus immundis actibus, & gestibus intactum se custodire, quæ libidinem aliquam spumare noscuntur. Et hæc propter niueam pudicitiam, assimilatur candori lilyorum, & Angelicæ puritati: propter laboriosam verò resistentiam, rosarum rubori, & martyrij dignitati.

Cordis.

Secunda verò est castitas cordis, quæ tentationibus carnis vrgentibus, & naturalibus motibus stimulantibus, ad Deum integra voluntate, & tota confidentia, velut ad tutissimum castitatis asylum confugere consuecit, ei que perpetuò ac hærendi voluntatem firmissimam presentat. Et hæc augmentum gratiæ maximè promeretur, in qua virtutes omnes extolluntur, & conseruantur. Ipsa sensus exteriores custodit, dirigit, & gubernat: appetitum autem bestialem restringit, corrigit, & informat. Est enim contra terrenorum incursum firmissima cordis clausura, & ad caelestium, omnisque veritatis influxum latissima apertura, ac totius vitæ spiritualis venustissima ornamenta. Quam vt perfectius assequatur, non permittat se quibuscunque medijs, etiam spiritualibus, ad aliquas singulares familia-

ritates inclinari, vel constringi, nec velit à quoquam singulari fauore coli. Quia talia miro modo (licet bona videantur) à via Dei pura, in qua gloria Dei synceriter queritur, impediunt, inficiunt, & retrahunt. Tertia est castitas mentis, quæ possessorem suum supra sensum, & intellectum, & supra omnia dona animæ infusibilia, Deo conglutinat: quia quicquid potest creatura comprehendere, id ipsum nititur pertranlire, & in solo incomprehensibili bono quiescere. Vnde & Sacramentum Corporis Christi sumendum non est propter spiritualis saporis delectamentum, nec propter desiderij appetitum, aut dulcedinis affectum, vel propter pacis, & pacationis fomentum, nec ob quamcunque aliam causam, nisi solum ad honorem Dei, & vt in virtutibus profectus fecundior habeatur. Hæc enim mentis castitas summè præcipit obseruari, quæ nimirum ipsum animum ab omnibus creatis absolutum, diuino vultui procliuum, & deiformitate decorum, tam sublimiter in diuinam sustollit similitudinem.

Mentis.

Eucharistia
quærens
sumenda.

De consurrectione ad Deum in actiua vita & morali: & de intentione triplici. Cap. VI.

Postquam fidelis anima virtutibus moralibus decenter fuerit adornata, secundum quod actiua vita perfectioni congruit, conuenienter deinde vigorosæ consurrectioni iubetur operam dare, & dicere cum sponsa: *Surgam, & circuibociuitatem: per viuos, & plateas, quæ am quem diligit anima mea.* Huius autem consurrectionis duplex est modus. Primus est mysticus & occultus, & vocatur à diuino Dionysio mystica Theologia, quia est quædam occultissima sapientia, quam immediatè solus Deus hominem in spiritu edocet. Alias autem scientias mundi Doctores suis tradunt auditoribus, verbo, calamo, & atramento: sed hæc in diuinis illuminationibus, & celestibus distillationibus in corde scribitur, digito Dei viui. Quæ profectò licet, propter suam excellentiam, ab humana sapientia non potest edoceri, quilibet tamen, quantumcunque simplex & idiota, in schola diuina si se fideliter adaptauerit, hanc à Deo sapientiam immediatè recipit, super omnem intellectum, per solum amoris affectum, quam nullus Philosophus, aut sciolus, humana industria, quantumcunque studeat, apprehendet. Qui modus affectiua consurrectionis tactus est in præcedentibus, sed eius perfectæ profectio videbitur postea. Et hanc in omni gradu sui profectus, pro suo modulo diligentius colere debet, quicunque veraciter, efficaciter, & salubriter proficere desiderat.

Cant. 3.

Theologia
mystica.

Theologia
scholastica.
Psalm. 83.

derat. Secundus autem modus est scholasticus, quem latius prosequi nunc intendimus. Nam iuxta Psalm: *Beatus vir, cuius est auxilium a se te Domine, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit.* Nec mirum, cum in hoc tota salus nostra consistat, sine quo nulla vnquam perfecta est virtus.

Intentio
recta.

Lumen
fidei.

Pro quo sciendum, quod sicut in actua Deo tribus animæ dōribus felici connubio coniungimur, scilicet visione clara, dilectione pura, & fruitione secura: sic in huius vitæ via per gratiam futuræ beatitudinis gloriam prælibantes, efficientijs trium virtutum Theologicarum, tribus animæ dōribus correspondentium. Deo propinquantes coniungimur, tam in actiua vita, quàm in contemplatiua, licet multum differenter. Nam in actiua vita, de qua nunc loqui intendimus, primò Deo coniungimur intentione recta, lumine fidei illustrata, cum scilicet in cunctis, quæ agimus, vel patimur: consequi, vel vitare cupimus; simplicem cordis oculum diuino conspectui directè opponimus. Quod fit, dum in omnibus actibus, & affectibus illum seipsum honorare ac diligere cupimus, & intendimus, qui nos sapientia sua creauit, humanitate nobilitauit, sua morte redemit, suo sanguine lauit, & in æterna beatitudine nos beatificare disposuit. Quæ cuncta nobis fides luce clarius ostendit, quæ initium est omnium gratiarum, & donorum, & deiformium virtutum. Est enim lumen supernaturale, quod qui veraciter adipisci desiderant, vt Dei filiationem sortiantur, sese subleuent ad considerandum vnum esse summum bonum, Deum, & Creatorem cæli & terræ; ac omnium quæ in eis sunt. Hæc autem omnia ad seruitium, & vsum nostrum ex amore creauit, multifarijs nos donis, tam spiritualibus, quàm corporalibus præueniens, seipsum insuper in humana natura conferens ad omnem laborem & miseriam, passionem & mortem: adijcere paratus peccatorum veniam, communicare gratiam, vnire per amorem, premiare per æternam sui fruitionem. Sicque natura in supremo sui, consideratione indagine subleuata, Christus per fidem adueniens, luce sua supernaturali virtutem eius intellectiuam clarificat, ita quod plus credit, & confidit, quàm explicare sufficit, considerans, & inspiciens æternum bonum, quod expectat adipisci, certissimè sperans quod credit & inspicit. Vnde dicit Dionysius 7. de diuinis nominibus, quod circa veritatem verè existentem, & non errantem, versatur fides diuina, quæ est stabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate.

tate, & firmans simplicem veritatem, intransmutabili identitate, in
 ipsis credentibus, habentibus cognitionem veritatis: & ideo creden-
 tem in veritate, nihil mouebit à latitudine, quæ est secundum veram fi-
 dem, sed habebit in ea permanentiam immobilis. & transmutabilis
 identitatis. Qui enim unitati unitus est, ex ipsa unione bene nouit,
 quod bene sentit, quamuis multi corripiant eum, tanquam mentis
 excelsum passum siue furiosum: Ipse tamen bene nouit seipsum non
 furentem, ut errantes ei imponunt, sed per simplicem veritatem,
 semper eandem & eodem modo se habentem, liberam ab instabili
 & variabili diuisione, contra variabilem errorem. Et sic per fidem ve-
 ram stabilitus & illuminatus securè per intentionem rectam in offe-
 so pede finem suum exequitur. Nam intentio recta finem actionis, &
 itineris nobis, reostendit: quia dicit Greg. quod intentio, priusquam
 in actione se exerceat, hoc iam quod appetit, contempletur. Et una-
 quæque actio intentionem suam quasi oculum intuentem sequitur,
 qui oculus lumine fidèi est illustratus. Et ideo vigilanti cura, per ope-
 ra cuncta intentio nostra nobis est pensanda, ut nihil temporale in
 his, quæ agit, petat: sed totam se in soliditatem æternitatis figat, ne si
 extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, totum opus in
 nihilum soluatur: quia etiam summa opera inaniter fiunt, si intentio-
 ne cordis extra æternitatis rectitudinem deflectuntur. Si autem rectè
 intendimus, bonum opus efficitur, & si minus bonum extra videat-
 ur. Nimirum, cum intentio dirigitur amoris desiderio, qui gratificat
 opus: & quanto maior est amor finis, tanto vehementior est motus
 intentionis, ita quod amor mouet ad finem desideratum, sed intentio
 cuncta disponit, & ordinat ad illius finis consecrationem, per quæ fi-
 nem hunc desideratum consequi sperat. Dicit enim Glossa super il-
 lud Psalmi: *In laqueo isto, quem absconderunt.* Quod pes animæ amor
 est, & eo mouetur ad locum, ad quem tendit, scilicet, ad dilectionem
 bonam vel malam, quod se peruenisse per amorem latatur.

Psalm. 9.

Ad maiorem autem euidenciam, tres gradus bonæ intentionis di-
 stinguuntur. Est enim intentio quædam rectificata, quædam sim-
 plicata, & quædam deificata. Prima dicitur intentio rectificata, ut
 pote principaliter ad Deum & propter Deum directa, quæ procedit
 ex voluntate affectiua, æstu diuini amoris calefacta: quæ voluntas sic
 æstuans, intentionem ad consecutionem æterni finis desiderati ope-
 rando impellit, liquefaciendò in Deum dirigit, nec eam sistere, nisi

Gradus in-
 tentionis
 bonæ tres.

Stitit 3; in æter-

Naturæ re-
curritas ad
seipsam.

Amoris di-
uini & na-
turalis dif-
ferentia.

Genes. 3.

Galat. 6.

Thren. 4.

in aeterno Deo finit. Vnde Origenes super Canticum dicit: Quod qui san-
& desiderio afluat, ad quodlibet opus bonum habilis inuenitur: &
nihil duri in corde, id est, intentione portat, quod non feruore astuan-
tis desiderij in Deum liquecat. Hic ergo discernuntur filij adoptionis
à filiis reprobationis. Nam qui in exercitijs & operibus virtuosjs per-
ficiendis non attrahuntur amore diuino, sed impelluntur aliunde, Deo
vniri nõ possunt. Quia cum natura recurua sit ad seipsam, omnes su-
per naturali gratuitaq; dilectione vacantes, in omnibus ad sese refle-
ctuntur, & requiem quarunt in rebus extraneis, quoniam à Deo sunt
auerfi, & ad se naturali dilectione conuersi, quærentes & affectantes in
suis exercitijs & operibus virtuosjs, dulcedines & solatia, similiaque,
quorum intrinsecus mouentur appetitu, cum e contra verum amato-
rem nihil contentare valeat præter solùm incomprehensibile bonũ:
quia charitas est nexus amoris, nos in Deum transuehens, per quam
& vnimur Deo, nobis ipsis renuntiantes, & Deus vnitur nobis. Verum-
tamen tam similis est amor naturalis in actibus exterioribus ipsi cha-
ritati, sicut similes sunt vnus capitis duo pili; licet amborum inten-
tiones sint dissimiles: quia verus amator intendit, quarit, & desi-
derat semper honorem Dei: naturalis autem amator sibi ipsi, prop-
riõque commodo semper intendit. Et sic amore naturali præpõderan-
te in exercitio & sensone spiritali, simul in quatuor peccata prolabi-
tur, scilicet in superbiam, cupiditatem gulositatem, & luxuriam. In
hec enim per ordinem in Paradiso lapsus est Adam, qui mandatum
Dei superbiendo contempsit, cupiditatis instinctu sapientiam concu-
piuit, gulositatis motu illiciti saporis delectamentum quasiuit, & post
hec ad libidinem insaniuit. Sic nimirum ad exercitia tracti, duntaxat
amore naturali, in qualicunque deuotione, facile mouentur ad propriam
complacentiam & inanem gloriam, putantes se aliquid esse, cum nihil sint. Ad sapientiam etiam diuinam, id est, internas illu-
minationes, reuelationes, visiones, & similia, ex curiositate quadam
per cupiditatem nimis inardescunt. Sapore verò & oblectationes
sensuales in affectu sensuali motu gulositatis quarunt. Ad hoc enim
totum suum studium deuotionis frequentando conuertunt. Quibus
tandem adeptis, in libidinem spiritualem insaniunt, cum in his ob-
lectationibus, & consolationibus, obliuio datore finem deuotionis
ponunt, illicque requiescunt. Et in his tam in actiua vita, quàm in
contemplatiua plurimũ decepti, miserabiliter aberrant. Et qui vesce-
bantur

*banur voluptuose, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis; amplē-
xati sunt stercore.* Non sic fidelis seruus diuina charitate per motus, qui
non quærit *qua sua sunt, & d qua Iesu Christi.* Vnde signum intentionis
reificatē est sobria letitia, & exultatio mentis. De qua dicit Orig. su-
per Cant. Non inueni verius signum boni hominis, quàm si inter æ-
rumnas fert dulcedinem mentis ex frequentia sobriæ exultationis &
letitiæ. Hoc enim signum denotat immobilitatem mentis tam in ad-
uersis, quàm in prosperis: quod est signum intrinsecum rectæ inten-
tionis. Vnde Greg. super illud Iob: *Erat vir simplex & rectus.* Rectus est
ille, qui in aduersis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur,
qui ad superiora totus erigitur, qui diuinæ voluntati totus subijcitur.
Sciendum tamen, quòd hæc intentio licet reificata sit, perfectum ta-
men decorem per omnia non habet, quoniam adhuc in actiua vita
consistens, circa multa est occupata, quamuis solum propter Deum.
Vnde Bernardus super Cant. dicit, quòd in aliud tendere, quàm in
Deum, & tamen propter Deum, non otium Marię, sed Marthę nego-
tium est. Absit tamen, vt quæ huiusmodi est, quicquam illam dixerim
habere deforme: nec tamen ad perfectum affirmauerim peruenisse
decoris, quippe quæ adhuc *solicita est, & turbatur erga plurima,* & non
potest terrenorum actuum vel tenui puluere non aspergi: quem ta-
men citò facileque deterget, & in hora sanctæ deuotionis casta inten-
tio, & bonæ conscientię interrogatio ad Deum.

Secunda verò dicitur intentio simplificada, quæ Deo magis est im-
mediatè proxima, & odore finis æterni dulcius allecta, & est contem-
platiuorū, experimentaliter ex affectiua voluntate procedens. Expe-
rimentalis autè odor vltimi finis alia cuncta quodammodo contem-
nere facit, ex quo in nullo alio intentionem quiescere sinit, sed eam vl-
timo fini (quantum potest) immediatè vnit: quoniam in tali experi-
entia, intentio non ambulat, sed currit cum sponsa, dicens: *In odorem*
unguentorum tuorum curremus. Dicit autem Bern. libro de præcepto &
dispensatione, quòd ad hoc, vt interior oculus, scilicet intentionis, sit
verè simplex, duo sunt illi necessaria, scilicet charitas in intentione, &
veritas in electione. Cuius ratio est, quia charitas intentionem ad
omnia, quæ sunt ad finem intentum, dirigit & extendit, ac per hoc ar-
ctius vnit, cum in omnibus vnum intendit, & ad vnum ter- dit, & om-
nia, quantum potest, cum illo vno vnire quærit. Veritas autem non
sinit errare circa finem intentum. Alioqui, vt ibidem Bernard. pro-
sequi-

Philip. 2.

Iob 1.
Rectus
quis.

Lucæ 100

Intentio
simplifi-
cata.Cantic. 1.
Intentioni
simplifica-
ta necessa-
ria qua.
Charitas.

Veritas.

- † Matth. 6. sequitur, quomodo *simplex* est *oculus* intentionalis, cum ignorantia veritatis, qui bonum diligit, & malum nescius agit? Sed illius oculum non immerito simplicem dixerim, cui neutrum bonum desit: quoniam ista duo, oculum intentionalem faciunt simplicem, scilicet amor boni, & cognitio veri: quia charitas non finit intentionem ante finem intentum stare, nec veritas finit eam circa finem errare, quia non querit angulos, nec ei diuersoria placent. Porro, recta & simplex intentio quaedam est tendentia, recta sine obliquitate, & simplex sine admixtione in aeternitatem, à voluntate desideratam, & à ratione dictatam, quae tendentia continua intentionis est approximatio, & attingentia continua desideratae aeternitatis. Simplex intentio, dispersas animae potentias in unitatem spiritus colligit, Deo spiritum amoris in iunctione coniungens. Simplex intentio est decor, initium & finis omnium virtutum, quas Deo semper offert in sacrificium laudis, & gratiarum actionis. Illa intentio simplex est, quae nisi in ordine ad Deum nihil complectitur extra Deum, omnem simulationem, & cordis duplicitatem expellens. Est enim *oculus ille simplex*, qui *totum corpus* operum nostrorum *lucidum* reddit. Est, inquam, interni spiritus amatoria inclinatio, diuino lumine luminosa, spes, fides, & charitatem in se complectens, & totius vitae spiritualis intimum fundamentum existens. Haec igitur intentio, charitate & veritate munita, temporalia deserat, ad aeterna suspirando redeat, donec intentio tentio fiat. Dicit enim Hugo de arca Noë: quod hoc est ad Deum tendere, & ad ipsum pertingere, semper eum & per desiderium querere, & per cognitionem inuenire, & per gustum tangere. Quod si semel in appetitione gloriae caelestis sorti stabilitate animus per intentionem figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis enim externis motibus eandem intentionem, quasi quendam secretissimum secessum petit, incommutabili inhaerens, & cuncta mutabilia transcendens. Haec igitur intentio tendit in Deum solum immediate, quantum potest, & propter ipsum: sed plerumque non totaliter propter Deum solum, quin etiam propter se quarens medicari & consolari, retinens adhuc aliquid de proprio, ut dicit Bernardus. Vnde psalmista in persona talium ait: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem*: licet principaliter non quærat mercedem, sed Domini voluntatem. Quam intentionem si forte plurimi supergressi sunt, dictante ratione, compellente charitate: pauci tamen admodum tam voluntarios se reperiunt

Intentio simplex qua.

† Matth. 6.

† Psal. 118.

periunt ad diuinæ consolationis, & internæ sensationis subtractionem, quam ad earum receptionem; nondum plene sibi ipsis mortui ad perficienda quæcunque aduersa, nisi consurgant ad perfectiorem intentionis gradum.

Tertia denique dicitur intentio deificata, utpote amore finis æterni totaliter attracta: Et est proprie beatorum in patria, quia iam intentio fit tentio æterna, & elicitur à voluntate affectata deiformiter. Quidam tamen in statu viæ feruore spiritus inebriati, intentione hanc attingere cupientes, totis præcordijs ad eius felicem consecutionem laborare non cessant, ut & ipsi in hac valle lachrymarum pro modulo suo felicem hanc deificationem, & perfectam diuinam assimilationem assequi mereantur. Deificatio autem, secundum Bernardum, in lib. de diligendo Deum, nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium, sed totum per intentionem dirigit in Deum. Vnde dicit ibidem: O pura & deificata intentio voluntatis, eò certe deificatior, & purior, quò in ea de proprio nihil admixtum relinquitur: eò suauior & dulcior, quò totum diuinum est quod sentitur. Sic enim affici, est plane deificari: quæ deificatio suam perfectione consequitur in futura vita. Vbi sic omnem in Sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, necesse erit à se metipsa liquecere & deficere, ac in Dei penitus voluntate transformari. Alioqui, quomodo erit *Deus omnia in omnibus*, si in homine aliquid de homine supererit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, in alia gloria, aliaque potentia, quam intentionem etiam in hac vita, ut dictum est, quidam prælibare merentur.

Vti quisque in actiua vita moralis per Dei amorem proficere debeat: deque amore multiplici Cap. VII.

EXpediti de primo, ad consurrectionem actiua vitæ nobis necessario, scilicet de intentione recta, (quæ licet proficit, non tamen sufficit) ideo nunc secundum prosequamur, Deo nos propinquare faciens & vnies: quod est dilectio præcipua charitatis igniculo inflammata, ut, scilicet, nihil æquè vel plus Deo diligamus. Quo fit, ut in omnibus actibus animus recte intendens, *super pectus Domini*, per amore caput inelinet: ut cui recta intentione coniunctus est, etiam dilectione præcipua coniungatur. Omnis quippe creatura, ut talis, infra Deum diligenda est, tamen non extraordinaria dilectione, sed in ordine ad Deum: ut vel ipsa iuuet vel cooperetur in bonum, vel per eam animus ma-

T t t t nudu-

nuducatur ad Deum, & sic seruetur ordinis rectitudo. Charitas autem, quia non vult sinere medium inter se & dilectum, ideo acumine suo cuncta penetrat, donec ad dilectum perueniat: & sic intentionem istam corroborat, purificat, & consummat: amantē insuper cum amato arctius & efficacius stringit & vnit. Vnde Dionysius libro de diuinis nominibus dicit: Vnus est amor increatus, qui sua super substantiali & vniuersali appetitione ingignit omnibus rebus amorem creatum: Qui amor creatus, est quaedam inclinatio & coordinatio amantis ad bonum amatum. Est enim amor, connexio & vinculum, quo omnium rerum vniuersitas, ineffabili amicitia, insolubili quoque vnione copulatur. Cū igitur amorem nominamus, siue diuinū, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animale, siue naturalem, designamus nomine amoris quandam virtutem vnitiuam, communicatiuam, mouentem superiora ad prouidentiam inferiorum, & inferiora ad cōuersionem superiorum, ac coordinata ad continuam & mutuam habitudinē. Amor ergo noster, cum igniculo charitatis diuinæ fuerit inflammatus, cum Deo stabilitur, ac perpetuatur: quia *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quod cum Dei adiutorio fieri poterit in æternum: Nam in libro de spiritu & anima dicitur, quod anima in se non de se amorem habet, quo semper cum Deo stare poterit. Vnde Apostolus ad Romanos: *Certus sum*, inquit,

Cyp. 4.

Amor creatus.

1. Ioan. 4.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

quod *neque mors, neque vita, &c.* Quæ verba declarans Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ, dicit, quod licet corpus nostrum mori possit, ipsum tamen, quo Deum diligimus, scilicet anima, mori non potest, nisi dum non diligit Deum, cui mors est non diligere Deum: quod nihil aliud est, quam ei in diligendo aliquid præponere. *Neque vita*, quia Deus est fons vitæ. *Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes*, id est, nec inferiores, nec mediæ, nec superiores: quia Angeli, cū in hæremus Deo, non sunt nostra mente potentiores, sed toto mundo superior est mens, Deo per charitatem in hærens. *Neque instantia*, scilicet aduersa, quia eò leuiora sentimus, quò ei, à quo nos separare molimur, arctius in hæremus: & ideo *charitas omnia sustinet. Neque futura*, scilicet promissa, quia quicquid boni futurorum est, certius promittit DEVS sibi in hærentibus, & nihil est ipso Deo melius. *Neque fortitudo*, id est, violentia alicuius: *neque altitudo*, id est, prosperitas: *neque profundum*, id est, aduersitas: *neque alia creatura*, quia bonis omnia cooperantur in bonum, nec nos separant nisi demerito nostro. *Charitas enim nunquam*

nunquam excidit, sed nos Deo feliciter consummat & perpetuat, dum in idipsum fideliter subleuata fuerit. Quod si in his, quæ deorsum sunt, per amorem se conuerterit, instabilitate continua fluctuabit: quia dicit Hugo in lib. de arca Noë: Quod dum cor nostrum, vel spiritus noster per desideria defluere cœperit, quasi in tot diuisum est, quot in eo sunt, quæ concupiscit. Hinc nascitur illi motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine peruentione, ita quod inquietus sit semper spiritus noster, donec illi adherere cœperit, ubi desiderio suo nil deesse gaudeat, & ea, quæ diligit, semper mansura confidat & credat.

Tertio, Deo coniungi studeat animus adhesionem quietam anchoram spei solidatam, ut omnes tam moralis, quam spiritualis exercitij motus, omnemque internæ suauitatis etiam diuinitus infusæ suauitatem & saporem intentionis velocitate & dilectionis acumine transcendens, in Deo, tanquam in motus sui finali termino, immobiliter quiescat. Nam in eo, cui rectè intendimus & præcipuè diligimus, immobiliter meritò quiescendum est, potius quam in omnibus donis eius. Intentio quidem & dilectio cuncta munera bonorum operum & dona, diuinis obtutibus sedulè representant: sed super omnem horum multitudinem sola in solo omnium datore requiescere concupiscit. Vbi verò supra omnia Dei dona, & supra semetipsam, & omnem creaturam in dilecto amore viuifico quiescit: illic anima in Deo, & De-

Quies anti-
mae.

Iohan. 4.

Intentioni,
rectæ duo
necessaria,

Psal. 38.

Meditatio
humana.

Cogitatio. platione. Quia cogitatio fit sine labore & vtilitate, dum scilicet quis liberè cor suum euagari permittit, nec vllis terminis restringitur, quod ex vacuitate & distractione cordis, defectuque feruoris contingere solet, contra quod dicit Seneca libro de quatuor virtutibus: Cogitationes vagas & velut somno similes non recipias: quibus si animum tuum oblectaueris, cum omnia dispoſueris, tristis remanebis. Cogitatio igitur tua stabilis sit & certa, siue deliberet, siue quarat. Vnde dicit Gregorius in Moralibus, quod mens tot gressibus à Deo longè fit, quot malis cogitationibus decreſcit; quum manus cessat ab opere, malus tamen non est innocens à cogitatione. Meditatio verò fit cum labore & vtilitate, cum scilicet quis cogitationem suam tantum ad bona memoranda restringere nititur & captiuare. Contemplatio autem fit sine labore cum summa agilitate & vtilitate: quia contemplatio propriè est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in aeterna spectacula vel specula directi, & in admiratione suspensi. Porro, meditationi humane, ne in labore deficiat, allocutio diuina vicem reddere solet, quæ secundum Augustinum fit inspiratione diuina, qua mentibus nostris suam voluntatem, & suam veritatem inuisibiliter ostendit: & sic humanam meditationem perficit, quia, secundum Dionysium, bona naturalia per bona supernaturalia perficiuntur. Motus enim animæ tam intellectuales, quàm affectuales inter Deum & animam in meditationibus quasi quidam nuntij discurrunt: qui tamen inutiles & indigni erunt in conspectu Dei, nisi lumine veritatis, & feruore charitatis, per diuinum præueniantur alloquium. Et ideo nisi diuina inspiratio vel allocutio mentem ad meditando excitet & inspiret, quid, qualiter, & quando de diuinis meditando sit, humana meditatio vana & inutilis remanet; quia non exardescit in ea ignis deuotionis, sed vanitatis, curiositatis, & cupiditatis. Dum verò nostra meditationi se diuina sociauerit inspiratio, quasi viator quidam iucundissimis confabulationibus spiritum nostrum subleuat, à temporalibus abstrahendo, de æternis instruendo, & ad aeterna inuitando, vt merito dulce verbum eructet dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* A cuius nimirum dulcedine cum Moſe ducitur ad interiora deserti. Et cum Psalmista psallit, dicens: *Ecce elongaui fugiēs, & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluū me fecit à puſillanimitate spiritus, & tempeſtate.* Super quo verbo dicit Bernardus: Non fuit cōtentus exire, nisi & longè se faceret, vt quiescere posset.

Et si

Psal. 118.

Exod. 3.

Psal. 34.

Et si transfūisti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias contu-
piscentijs, nec tenearis illecebris & curis eius, profecisti quidem, & se-
parasti te; sed nondum te elongasti, nisi irruentia vndique phantaf-
mata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate pra-
ualeas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si circa te asti-
mas inuenire locum quietis, secretum solitudinis, serenum lucis, ha-
bitaculum pacis. Hac ille. Nec mirum, cum dicat Gregorius, Quod Manere in
in solitudine manere, est à secreto cordis terrenorum desideriorum solitudine
tumultus expellere, & vna & viua intentione æterna patriæ, in amo- quid.
rem intimæ quietis anhelare. Vnde sequitur in Psalmo: *Expectabam* Psal. 54.
eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. In quo se-
liberatum asserit à duobus in solitudine, quæ solent impedire ad in-
teriora progredi cupientes. Primum est interior, scilicet pusillanimi- Pusillani-
tas, quæ provenit ex defectu fidei & confidentiæ, ex qua oriuntur om- mitas.
nia interiora impedimenta. Contra quod dicit Psalmista: *Quoniam in* Psal. 17.
te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Murus, se- Murus in-
cundum Gregorium, est omne, quod itineri nostro obijcitur, ne ad ter Deum
eam, qui diligitur, transseat. Sed hunc murum transgredimur, cum & nos.
præ amore illius omnia mundo obiecta calcamus, vt ad eum, quem Tempestas
diligimus, expedite peruenire valeamus. Secundum est exterior, sci- spiritus.
licet tempestas, quæ provenit ex defectu charitatis, quæ vigorata
tranquillè *sustinet omnia*, ex quo oriuntur omnia impedimenta exte-
riora & interiora: quia tempestas exterior (vt frequenter) interiorem
generat, nisi charitas adsit, quæ *omnia suffert*. In solitaria ergo medita- 1 Cor. 13.
tione, sola cum solo securè manet à tentationibus externis abscondi-
ta, veritatis fidei feruore viuificata & stabilita. Quod ostendit Hugo
de arca Noe, dicens: Si per studium meditationis assidua cor no-
strum inhabitare cœperimus, iam quodammodo temporales esse de-
stitimus, & quasi mortui mundo facti, in eum cum Deo viuimus. Quo-
niam ibi fixum est nostrum desiderium, vbi mutabilitati non subia-
cemus. Ecce iam studio sa meditatio in tantum se exercuit & profe- Contem-
cit; quod in contemplationem transiit: quia veritatem per medita- platio.
tionem diu quæsitam, & tandem inuentam, mens solet cum auidita
te suscipere, mirari cum exultatione, eiusdemque admirationi diu-
tius inhaerere. Et hoc est meditationem meditando excedere, & me-
ditationem in contemplationem transire: sicut & cogitatio quando Meditatio
que in meditationem transit. Cum enim æternorum meditatio sit æternorum
quæ quid.

quædam inquisitio veritatis æternorum cum magna animi industria, nec ab inquisitione desistat, donec quod quarit, inueniat, quantum potest, planum est quod spiritus humanus per ipsam in æternis nec figitur, nec quietatur, donec quod per meditationem quaerebatur, ei per contemplationem ostendatur. Quam citò verò quod quaesuit, inuenerit, & spiritus illi velut acquiescendo cum admiratione inharere cœperit, tam citò meditatio esse desinit, & in contemplationem transit. Quia meditationi, secundum Richardum, proprium est sua promotione semper in vltiora tendere. Sed contemplationi proprium est iucunditatis suæ * speculo cum admiratione adhaerere. Sicque desinit actiua vita, & incipit contemplatiua. Nam sicut in naturalibus entium genera hoc ordine concatenata sunt, vt inferiorum suprema, superiorum in simis sint coniuncta: sic & in moralibus, supremus gradus inferioris vitæ, superioris infimum attingit.

* Alijs speculo.
Staculo.

Gradus vitæ
actiue
supremus.

1. Cor. 13.
Exod. 33.

Luc. 19.
Zachæus
quomodo
imitandus.

Articuli
fidei.

Supremum igitur actiue vitæ gradum submittentem, vitæ contemplatiue connectamus. Cum enim sic intentione recta, dilectione præcipua, & adhaesione quieta quis Christo iugiter inhaerit, pijs sæpe desiderijs æstuat respicere *in faciem Christi sui*, vt quem pro tam immensis beneficijs & donis *per speculum in enigmate* veneratur, etiam facie tenus palam videat & agnoscat: Quoniam in operibus eum & à posterioribus agnoscere, minimè sufficere iudicat, nisi & *faciem* eius desiderabilem videre mereatur. Quamobrem industriosa sollicitudine Zachæum æmulabitur, *Iesum videre* cupientem *quis esset*, sed adhuc *statura* pusillum, & ideo à tumultuantium cogitationum vel creaturarum turba præpeditum. Ascendat autem conuersione vigorosa meditationum & affectionum *in arborem sycomorum*, ramis duodecim adornatam, hoc est, fidei celsitudinem: cuius rami sunt eius articuli. Quorum inferiores, de incarnationis Dominicæ, nostræque salutis mysterio loquuntur: superiores verò personarum Trinitatem, & naturæ diuinæ vnitatem eminentissimè confitentur. In cuius arboris apice, id est, deitatis vnitatem fixè per amorem sedeat, & adhaesione quieta permaneat: quia Christus cum multitudine donorum suorum & gratiarum est *inde transiturus*. Quem cum respexerit cum lumine fidei, protinus secundum diuinitatem immensum, incomprehensibilem, inaccessibilem, & inuestigabilem esse, mentis oculis ostendit. Et hic est supremus gradus cognitionis in actiua vita. Christus

Nus autem in hoc culmine cognitionis eum aspiciens, ait: *Festinus
 descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Quod festinum
 nihil aliud est, quam amoris desiderio, deitatis abyſſo: se protinus
 immergere, quam sub solo creato lumine, nulla valet intelligentia
 comprehendere: sed ubi cognitio foris stat, amor & desiderium in-
 trant. Et sic in anima Deo, & Deus in anima amore vicario requie-
 ſcunt. Nam ubi anima cuncta transcendens, in cacumine suæ mentis
 ascendit, ibi Christo in lumine fidei obuians, diuinitus illustratur, &
 Deum esse incomprehensibilem, incognoscibilemque docetur: ubi
 verò Deo incomprehensibili se toto desiderio proclinat, illic iterum
 occurrens Christo, donis eius cælestibus adimpleretur. Vbi denique su-
 per omnia Dei dona, supra seipsam & omnem creaturam, amore vi-
 uifico requiescit, illic in Deo ipsa, & in ea Deus requiescit. Et hic est
 summus confurrectionis gradus, quem in via actiue vitæ valeamus at-
 tingere. Ad quam dilectam dilectus in Canticis inuitat, dicens: *Sur- Cant. 2:
 ge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Quasi di-
 ceret: *O amica mea,* propter tuæ meditationis amorosam assiduita-
 tem, quæ scilicet amoris est incentiua, quia in ea ignis exardescit. (Si-
 cut enim ignem ligna nutriunt: sic meditationes amorosa desideria
 pascunt.) *Surge* per meditationis extensionem, à temporalibus in æter-
 nitatem. *O columba mea,* (propter meditationis columbinam simpli-
 citatem,) quæ simplicem habet intuitum, signans puram & simplicem
 intelligentiam: ex qua simplices & puræ meditationes oriuntur, quæ
 sunt Deo gratissimæ: *meditabor,* inquit, *ut columba.* *Propera,* per me- Ifai. 38:
 ditationis agilitatem, quam desiderabat Psalmista, dicens: *Quis da- Psalm. 54:
 bit mibi pennas sicut columba?* *O formosa mea,* propter meditationis
 puritatem. Eius enim exercitatio sedula circa æterna mentem puri-
 ficat, à temporalibus abstrahendo, ad æterna extendendo. Nam, se-
 cundum Augustinum primo de Trinitate; Quamvis mens se magis ex-
 tendit ad id quod æternum est, tantò magis formatur ad imaginem
 Dei, ut sic merito audiat, *Veni.* Quod nobis concedat Christus Domi-
 nus. Amen.

*De duplici modo perueniendi ad vitam speculatiuam & spiritualem,
 deque contemplatione duplici. Cap. VIII.*

A Mice ascende superius. Propheta David animæ contemplati. Luc. 14.
 uæ semitam perfectionis ingerere volens: *Accedite,* inquit, Psalm. 33.
 Tttt 4. ad eum.

ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur. Cum enim creatura rationalis abiens in regionem dissimilitudinis, à Deo distet gradibus infinitis, ad hoc, quòd lucis aeternae superplenis claritatibus illustretur, necesse est animam, velut à se egredi, & gratuito Creatoris beneficio superius eleuari, vt sit aliqua approximatio, & assimilatio quaedam conformitas inter creaturam recipientem, & benignissimum Creatorem influentem. Quae nimirum approximatio compendiosius adimpletur in semitis potentiarum, & affectuarum, quam intellectuarum, sicuti videbitur. Sed haec est sapientia à paucis admodum cognita: licet David ostendat liquidò per degustationem perueniendum esse ad veram illuminationem, dicens: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Gustata quoque mellis dulcedine, *illuminati sunt oculi Ionathae.* Hinc est quòd diuinus Dionysius 7. de diuinis nominibus vocat eam irrationabilem, amentem, & stultam sapientiam, dicens: Hanc irrationabilem, amentem, & stultam sapientiam, excedentem laudantes dicimus, quòd est omnis mentis & rationis & omnis sapientiae & prudentiae causa: & in ipsa est omne consilium, & ab ipsa omnis cognitio & prudentia, & in ipsa *sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae Dei absconditi.* Vbi per sapientiam & cognitionem completa perfectio viriusque potentiae denotatur, scilicet affectuæ & intellectiuae. Vocat eam irrationabilem, quia nec ipsa ratio apprehendit, nec inuestigando ratione vtitur. Vocat eam amentem, id est, sine mente & intellectu, quoniam in exercitijs suis intellectu non vtitur, eò quòd ad tam summam cognitionem intellectus peruenire non sufficit. Vocat eam stultam, quia sine vsu omnimodae intelligentiae in affectu solo ista sapientia consurgit, quam nulla intelligentia penitus apprehendit. Et haec sapientia non tantum praeclarior est, sed etiam vtilior alijs scientijs, cognitionibus, & apprehensionibus, quia non tantum affectum supra se erigit, & amore exratico creaturam altissimo Creatori perfectius vnit: sed in superintellectum in tantum eleuat, quòd multo plus omni prouidentia & cognitione diuinis fulgoribus calitus illustretur, quam aliquo ingenij sui exercitio valeat quis obrinere. Quae sic à beato Dionysio diffinitur in libro de diuinis nominibus: Sapientia est dignissima Dei cognitio per ignorantiam cognita, secundum vnionem, quae est supra mentem, quando mens ab omnibus alijs recedens, postea seipsam dimittens, vna est supersplendentibus radijs, imperiscurabili & profun-

Ibidem.
1. Reg. 14.

Coloss. 2.

Sapientia
quid sit.

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

et coloss

fundo lumine sapientia illuminata. Hæc est illa sapientia Sanctorum
 à profluvio totius Trinitatis, fidelibus infusa, ac deifica diffusionem
 diuinitus illapsa, qua mentes amantium rore caelesti perfusa, non ali-
 quod emolumentum corporale, non aliqua dona Dei, scilicet gra-
 tiam, virtutes, vel gloriam: sed ipsum, qui est totius deiformis ema-
 nationis principium, scintillantibus affectionibus, insatiabilibus de-
 siderijs, vniciuis aspirationibus, non aliud affectantes, ipsum solum
 tangere, & ipsi vniri desiderant. Hic tamen est aduertendum, quod
 mens, licet huic sapientia coniuncta, tendat superius, tamen quan-
 tum est de suis motibus anagogicis, in ipso actuali exercitio sine om-
 ni mulebri vnctione vel delectatione consistit: sed potius est ibi mi-
 ro modo corporalis afflictio, nisi Dominus proflua largitate sua dul-
 cedine irrorare dignaretur. De hoc tamen semper lætitiã concipit:
 quia in hac actuali tendentiã directè sine obliuatione quacunque
 se percipit in Deum consurgere: qui locus vnicus est suæ dignitatis,
 sibi naturaliter correspondens: sicut lapis naturaliter ad centrum
 suum tendit. Vnde multi decipiuntur in hac philosophia minus
 experti, semper æstimantes mentem in suis motibus consurgentem,
 caelesti dulcore multipliciter irrorari. Cùm econtra mens actione la-
 boriosissima sursum agatur, ac ex extensione spiritus fit quadam e-
 neruatio corporis, & membrorum corporalium debilitatio, ex im-
 petuositate motuum anagogicorum, quos sine magna corporis af-
 flictione sustinere non potest, nisi gaudium spiritus suo profluvio
 dolorem ipsum indulcoraret, quod subtiliter innuit Iob, dicens:

Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Præterea, per istam

Iob 7.

sapientiam virtutes Theologicæ roborantur. Et primò, fides, quia
 per hoc, quod mens insensibiliter infallibili notitia se trahi sentit
 in illum, qui solus est desiderij sui contentatiuus, (& hoc experitur
 verius, quàm oculus videre potest materiale obiectum) hinc mens
 certificatur, quod ille solus & verus est Deus, quem fide colit: ita
 quod si omnes mundi sapientes dicerent, Fides tua non est vera, sed
 deceptoria: econtra responderet, Fides vestra fallax est, & fides mea
 verax est. Multo quæ felicius per vnctiones amoris tenet infallibi-
 le firmamentum cordis, quàm per rationes & inuestigationes. Se-
 cundò, corroboratur spes, quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis. Spes.

Virtutes
 Theologi-
 cæ quomo-
 do per Sa-
 pientia ro-
 borantur.
 Fides.

Charitas.

miliaritatem per affectiones & vnitiva desideria consequitur, quod ipsius dilecti dono. in ipsa mente quaedam confidentia relinquitur, qua omnis timor pungitius ab ea per modum cautelae radicitus extirpatur. Terriò, inflammatur & perficitur charitas, quia cum per motus anagogicos, ad ipsius intimiorem vñionem aspirat, expolita radijs aeterni solis, ab igne desuper emisso & immisso accenditur. Nam sol ist. mentes multipliciter exurit, quia ipse per se augmentat ardorem in spiritu, mediante quoque ardore, refecat obstacula, quae amorem impediunt, vt ardentius inflammetur. Insuper beneficia spiritalia super addit, quibus amor in ipso perficitur. Facit (inquam) exurere mentem ad hoc, vt ardentissime Deus vnice diligatur. Denique, sapientia ista mentem exurit, vt in omnem proximum, sicut in seipsum, hoc amore ferueat. Rursum, desiderijs insatiabilibus vsque ad vñionem plenissimam aspirare languida non desistat. Nec tantum virtutes per eam perfectum principatum obtinent, sed & mens omni philosophia, omni que inuestigationi rationis & inquisitionis, omnis speculatiuae Theologiae praepõnitur: quia per eam sine aliquo concomitante vel praecedente cogitatu, motum amoris habet, per apicem ipsius affectiuae indicibili modo summum apprehendere bonum. Adquam apprehensionem, nec intellectus consergit, nec intelligentia speculatur. Hinc etiam gentilis eam non apprehendit, quia non quaerunt, nec esse putauit, nec vim, secundum quam diffunditur, in anima d.prehendit. Putauit enim summam vim cognitiuam inesse intellectui, cum sit alia vis, quae non minus excedit intellectum, quam intellectus rationem; & ratio imaginationem, scilicet, principalis affectio, quae est scientia syneresis, sola spiritui diuino vnibilis.

Quae possit esse cognitiua virtus supra intellectum non video, nisi ipsemet intellectus, secundum quod supra modo caelestia inuenitur accipit.

Natura hominis duplex.

Denique, sciendum est, quod rationalis creatura constat ex duplici natura, scilicet, corporali & spiritali: & vtraque sibi correspondentia habet obiecta, quibus secundum cuiuslibet capacitatem aeterna veritas percipi potest. Ideo merito duplex contemplandi modus assignandus est, quibus etiam duplici via ad ardorem amoris peruenire valeamus. Nam quidam sunt homines sensuales & rudes, qui tantum sensibilia cognoscunt: vt pote sensum & intellectum obrutum habentes, & affectum recursum. Ideo nec bonitatem nec veritatem diuinam in semetipsis percipiunt. Ne tamen omnino diuinæ cognitionis sint expertes, posuit Deus sensibiles creaturas, vt inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur. Et sic pri-

Rom. 1.

sic primus modus contemplationis, quo peruenitur ad ardorem amoris, communis est & scholasticus, per modum inquisitionis & elevationis paulatim ascendens: incipiensque per exercitium ab inferioribus ad superiora. Verbi gratia: Primò creaturas exteriores exteriori sensu aspicit: deinde superius ascendendo, quod exteriori sensu percepit, in imagine repositum conseruat, ac se magis eleuando, ratiocinando, conseruando, causam vnã omnium creatricem inuenit. Sic enim perueniunt Philosophi ad cognitionem vnius Dei, qui tantam videntes creaturarum magnitudinem, tam decoram ordinationem, tantam earundem vtilitatem, per eas Creatorem vnũ esse potentissimum, sapientissimum, & optimum, infallibili cognitione decernebant. Ex huiusmodi autem consideratione, ratiocinatione, & inspectione creaturarum, habitus quidam in intellectu relinquitur, vbi primordiale fundamentum creaturarum conseruatur: ita quòd de cetero, non tantum per conspectiõnem creaturarum, sed etiam per irradiationem & illuminationem à Deo quodammodo immixtam, mens ad diuina contemplanda præclarius eleuatur. Tandem verò cuncta contemplatio in affectione, & desiderabili vnione terminatur. Alioqui enim contemplatio sine amoris affectione subsequente, parum prodest, aut nihil. Et id eo dicit Augustinus, quòd non licet semper volitando cogitare, sed etiam amando inharere, vt semper meditatio præcedat affectionem amoris. Et sic secundum viam scholasticam & communem, qua per creaturas vel intellectum cognoscitur Deus, cognitio præcedit amoris affectum, antequam in Deum affectus accendatur amoris. Cognitio tamen quæ sequitur amoris affectum, cum scilicet in processu mystico diuinus spiritus supremum apicem affectus tangit, ex illo tactu relinquitur in mente cognitio multò verior, perfectior, & certior: sicut à simili quædam delectabilia cognoscuntur ad vescendum per aliqua signa, quæ in eis videntur. Ex qua cognitione vt comedantur, videntis appetitus inardescit. Sed cum illa gustauerit, ex ipso gustu iam amplior & certior agnitio relinquitur: & ex hoc ad degustandum denuo magis inardescit.

Secundus autem modus in Deum conurgendi mysticus & secretus est, ac per hoc omnibus alijs modis vtilior, & nobilior, ad habendumque facilior, sicut in sequenti sermone declarabitur: quem modum à filijs suis Dominus voluit frequentari, sensibiliaque funditus

Modus con-
templandi
mysticus.

ab eis amoueri, ut multò felicius & verius in secretiori thalamo affectus interius in amoris lectulo collocatum sentiant, quem Iudei & philosophi interius cæci per creaturas exteriores discurrendo mendicant. In hac enim mystica Theologia iubetur quis ingredi cubiculum suum interius, ubi thesaurum hunc, scilicet dilectum, absconditum inueniet: qui quæri non debet ut sensibile, prout exteriori sensui correspondet, nec prout est obiectum interiorum sensuum, nec sub apprehensua ratione ipsius Dei, prout est dulcissimus, pulcherrimus, suavissimus, per mentis anagogica desideria appetatur, ne scilicet anima, quæ quasi filia soli desiderio Conditoris inharere debet, veluti mercenaria suam refectionem impudenter requirat: nihil tantum ad hoc, ut in eius dulcedinis & suauitatis nutrimento viscerosius affecta, iam insatiabilibus & immensis desiderijs ad dilectum inardescat, ac vniuersa creaturæ delectatio plenius de cætero vilescat. Hæc est illa mirabilis & occulta sapientia vnitua, quæ per affectiones flam migeras consistit in amoris desiderio, ac sine omni meditatione & inuestigatione præuia, amantis affectum sursum trahit. Non enim oportet cogitare de creaturis, nec de Angelis, nec de Deo, nec de Trinitate: quia non per meditationem præuiam, sed per affectus desiderium debet aspirando consurgere.

Proficientium modus in mystica sapientia.

Ad maiorem tamen euidentiã sciendum, quòd ista sapientia aliter debet exerceri à proficientibus, & aliter à perfectis. Nam proficientes post debitam conscientie purgationem, debent aliquantulum cogitando, ipsi Deo desuper inflammati occurrere, præsertim cum sibi diuinam gratiam aridè conspexerint: non tamen cogitando de Deo, vel de Angelis (ut dictum est,) sed consurgendo per meditationes anagogicas: exempli gratia, ut rudibus occasio detur: Si quis vel simplicissimus tantum hoc modo desiderio suo supra se confurgeret: O Domine quando te diligam? quando te constringam? quando tibi totus vniar & immergar? quando totus à tua plenitudine absorbebor? Totum te sitio, totum me tribuo: & infinita similia. Et si hæc sapientius frequentaret, citius se sciret experimentaliter inflammati, quàm si de secretissimis caelestibus, & æterna generatione, vel processione milesies cogitaret. Per tales enim aspirationes præuias, in seipsis directum prouocantes, amoris affectio paulatim accenditur, & ad mentis eleuationem quis magis ac magis habilitatur, quousque ad vnitivam eleuationem affectio sustollatur. Cum autem

autem per frequens exercitium in amore vnitio mens confirmata fuerit, ac per ingenitas flammigeras amoris affectiones, vel aspirationes supra seipfam dextera dilecti sui subleuata, citius quam cogitari posset, sine omni cogitatione praua vel concomitante, quotiescuque placuerit in die, vel in nocte; centies, vel millesies in dilectum afficeretur, ad illum totum possidendum, innumerabilibus desiderijs aspirandis, in quantum admittit valetudo corporalis. Nam in his magna discretio est adhibenda, ne corpus per feruorem spiritus ante tempus destruat: prout postea latius videbitur. Et tunc amoris affectio præcedit * Alias cogitatione, quæ tantæ mobilitatis est, quod sicut in aspiratione & respiratione anhelitus, sine omni deliberatione procedit emissio vel immisio: sic sine omni deliberatione affectus ignitus, qui est super omnem intellectum, in illū tendit, cui soli perfectius vniri desiderat, & actionem suam ab omni intelligentia totaliter separatam habet: tanta latitudine & promptitudine à parte superiori coadiutus, vt mira velocitate motuum citius quam cogitari valeat, instar aspirantis vel respirantis consurgat. Cuius etiam velocitate, extensiuoque & importunissimo ardore, exercitium omnis speculatiuæ cognitionis, sicut mendicus, nullius valoris repudiatur & rescinditur, licet importunè se immisceat.

Hæc est igitur nobilissima sapientia mystica: hæc inquam est affectio amoris verissima, quæ primū tangitur & tangit propter maximam vicinitatem cum suo appropriato, scilicet Spiritu sancto. * Alias cogitatione.

Primū enim tangitur, quoniam amor iste verus, qui est Spiritus sanctus, est tertia persona in diuinis, & vltima respectu ordinis personarum; & per consequens nobis propinquior. Hinc est, quod primò in eon resurrectione affectiua in Deum, supremum apicem affectiua per ignem amoris tangit, instammat, ac indicibiliter sine cogitatione praua, vel rationis discretione ad se trahit: sicut lapis naturali motu semper ad centrum suum trahitur, eò quod affectiua potentia, quæ est supremam in spiritu hominis, Spiritui sancto immediatè vinculo amoris est vnibilis. Secundò etiam primò tangitur, quia spiritus rationalis à Deo recipit influentiam, primò & principaliter in quantum est ipsi affiniore, sed affectus per amorem dispositus, est supremus in spiritu rationali, & per consequens in creato spiritui propinquior. * Alias Hinc.

* Hic primò tangitur apex affectus à Deo per immersionem igniti amoris in spiritu, tanquam Deo propinquior; antequam apprehendit eum intellectus: qui est multo plus à supremo Creatore distantior, quam affectus:

aus: quare multo excellentior, amabilior, & ad obtinendum dilectum facilior est ardor amoris. Primumque conscendit ad dilectum tangendum, osculandum & amplexandum: sicut à simili, ordo Seraphin, qui interpretatur ardēs, est Deo vicinior quam Cherubin, ac per consequens vberius, perfectius, & prius influētiam à Deo recipit, quam Cherubin, qui interpretatur plenitudo scientiæ. Et hæc potentia, vt est supremum in spiritu, ferè ab omnibus ignoratur: nisi ab illis, quibus ab igne Spiritus sancti immediatè apex affectus tangitur, & mouetur. In quo tactu Spiritus sancti datur multò maior de Deo cognitio, quam per omnē intellectum, & rationem inuestigando. Per quem, inquam, tactum, mouet affectum, primò per ardorem in Deum, deinde illuminat intellectum ad verissimam, & plenissimam cognitionem. Dissoluit imaginaria phantasmata, refranat & captiuat omnium sensuum deordinationem, etiam vsque ad carnis sensualitatem, sua redundantia pestiferam corruptionem eius mortificando.

D. HENRICI HARPHII

THEOLOGIAE MYSTICAE LIBRI

III. PARS SECVNDA.

De preparatione vite speculatiuæ & spiritualis, deque affectu quintuplici. Cap. IX.

Iohan. 17.



ASCENDE superius, Lucæ 14. Dicit Augustinus in libro de cognitione vera vite: Quòd, cum hæc sit vita æterna, vt se solum Deum verum cognoscant, profectò constat naturam rationalem ad hoc solum factam, vt factorem suum Deum verum intelligat, intelligendo diligit, diligendo, in eo, qui est vera

Itinera æternitatis duo.

vita, æternaliter beatè viuat. Et ideo concludit, quòd diuinitatis essentiam rationabiliter inuestigare, est ad æternam vitam festinare: quam vtique negligendo ignorare, est ad mortem indeficientem damnabiliter properare: quia duo sunt æternitatis itinera: Vnū ducens ad vitam æternam: Alterum ducens ad mortem æternam. A Domino namque se auertere, secundum Augustinum, est cadere: in quem se conuertere, est resurgere: in quo manere, est consistere. Et hæc quidem

quidem veraciter exequi non possumus, nisi per secundum gradum vite viatoris, qui dicitur vita speculatiua spiritualis, per Rachelem significata, sicut actiua per Liam, & contemplatiua supereminens per Mariam, quæ *optimam partem elegit*. Et huius quidem vite, quædam digna requiritur præuia præparatio, qua perficienda dinoscitur,

Luca 10i

Pro quo sciendum, quod duo sunt pedes spirituales, quibus hæc via perficitur, & ad debitum finem deducitur, scilicet, intellectus, & affectus: quos pariter coambulare necesse est, vt illa secretissima contemplationis itinera perquirentes attingere valeant. Alioqui intellectus sine affectu claudus efficitur: affectus autem sine intellectu cæcus esse probatur. Coambulent ergo necesse est, vt & intellectus affectui viam, per quam ambulet; & finem, quem desiderat, luculenter ostendat: affectus autem intellectum in terminum desideratum & præmonstratum impetu suo transferat & perducatur. Quia dicit Hugo super septimum Angelicæ Hierarchiæ, quod mentes cælestes vel spiritus rationales ad interiora nitentes, cognitione & dilectione accedunt, & proximæ sunt secundum excellentissimam collocationem, quam habent iuxta Deum. Sed tales pedes mundos & puros esse oportet,

Apoct. 22i

Iohan. 13.

quia nihil inquinatum illuc intrare poterit. Quod innuens Dominus ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*. Qui enim mundus est à caput nostri spiritus est simplex intelligentia, quæ in viris perfectis Deo coniungitur, vt dicit Augustinus. Nec etiam lotionem manuum indiget, quia eorum opera munda sunt, propter munditiam capitis ea in Deum ordinantis: sed tantum indigent lotionem pedum, quia tales pedes, vt cognitio vel affectio, mediante sensualitate quandoque terram tangunt. Impossibile est enim hominem aliquando non peccare venialiter, nec pati deordinationem aliquam in sua sensualitate, propter continuam conuersationem in terris: ex qua trahitur aliqua macula impuritatis in affectu, & ex hoc ruga impuritatis in intellectu. Vnde dicit Origenes: Ego impossibile puto, non cõtaminari extrema animæ & infima eius: quanquam quis perfectus, quod ad homines, reputetur. Ideo charissimi discipuli Domini sunt, qui solum lotionem pedum indigent. Quos iterum inquinari timuit in Canticis sponsa, dicens: *Laui pedes meos, compunctionibus & fletibus, quomodo iterum inquinabo illos?* temporalium vmbri & imaginibus, cum etiam intellectuales operationes & formæ in hoc loco in superintellectuali

Caput spiritus nostri quod.

Cant. 5.

exercitio reputentur maculae & offendicula, ut dicit Vercellensis super eodem verbo. Ad quae nimirum offendicula conculcanda & vitanda necesse est habere pedes non solum lotos, sed etiam ad ambulandum exercitatos, & agilitate veloces. De quo gloriatur Psalmista dicens.

Psal 17.

Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum. Ceruus enim, secundum Gregorium, cum iuga montium ascendit, aspera quaeque & obiecta transgreditur, donec ad superiora eleuetur: non solum currit, sed etiam saltat. Sic electorum mentes quaecumque sibi obuia respiciunt, contemplationis saltu transcendunt, donec ad superna se euehant. Unde, secundum Dionysium tertio capitulo Angelicae Hierarchiae, Pedes in Scriptura significant virtutem motiuam acutè penetrantem, & velocem, id est, semper tendentem in diuina. Per hos denique pedes transimus secundum Augustinum, ad Deum: non ambulando, sed amando: què tantò habebimus praesentiorum, quòtò amorem illum, quo in eum tendimus, habuerimus puriorem.

Pedes mysticè.

Oculo intellectuali parado necessaria tria.

Ad maiorem autem horum euidentiam sciendum, quòd ad emundationem vel preparationem debitam oculi intellectualis, tria sunt necessaria. Primum est infusio luminis gratiae excellentioris: quam tamen actiua vita absque interni feruoris diligentia promeretur. Quae gratia in anima similis est candelae in laterna: quia hominem iustum calefacit, illuminat, & transadiat, habitatori suo se manifestans intrinsecus: si tamen sui ipsius fuerit diligens inspector: & per opera exteriora transadians, proximis lucet virtutibus & exemplis. Illuminatio namque gratiae, subito mouet & excitat intrinsecus hominem. Quae subita motio, primum est conficiens spiritualem visionem, huic exercitio congruam, quam infusionem luminis gratiae, per gemitus & lacrymas à rubigine peccatorum debitam abluitionem praecedere necesse est: ut sic ad susceptionem diuini radij praeparetur. Unde sicut in speculo, quòd cum flatu vel alio quocumque fuerit obtenebratum, facies humana licet obiecta, non resultat: quam tamen abstersum statim recipit & repraesentat. Quòd si speculum aliquod ad instar spirituum humana ratione decoratum, & vitium adueniret, per illud utique quod in se recipit obiectum, cuius est similitudinem repraesentans, cognosceret. Sic nimirum cum à rationali spiritu obfuscans, caligo fuerit eliminata, protinus sol iustitiae, gratiae suae radios immittit, qui quantum in se est, & qualiter omnibus se infundit: imò sicut radius Solis ad fenestram immobilis perseverat: qua reuerata, ex sua naturali bonitate nunquam

nunquam se retrahens, domū interiorē prius obscuram, statim irradiat: sic sol iustitiæ immobiliter præ foribus astans cordis nostri, nihil aliud expectat, quàm ut per vitiorum absterisionem aditus sibi pateat, ut in mente nostra velut in lectulo dulciter conquiescat, per irradiationes spiritualium splendorum animā sibi desponsatam insigniens. Quod si duo specula intellectualia, scilicet humanæ mentis & æternitatis perfectè conuenerint, tunc anima per susceptū in se diuinū speculum, & illud in se, & se in illo esse plenariè perciperet, cognosceret, & fruibilibus possideret. Et ideo cuncta vitia præterita quantumcunq; minima fletibus, suspirijs, & orationibus, alijsq; virtuosis exercitijs cum summa diligentia sunt eliminanda, & expurganda: quia mentē humanam mirabiliter offuscant & obnubilant. Secundū autem est, omnium formarum extranearum, omniumq; phantastici tumultus exclusio, usque adeo, quod mens ab omnibus creaturis, & earū formis sit libera, pura, expedita, & penitus otiosa. Nam ad motionem prædictā ex parte hominis mox occurrit recollectio virium animæ tam superiorum, quàm inferiorum & exteriorū in vnitatem spiritus, vinculo charitatis connectarum: & sic memoria redditur expedita, sicut in primo ipsa intelligentia. Tertium est, libera voluntatis ad Deum conuersio cum recollectione omnium virium animæ, & eiusdem voluntatis ab omni inordinato affectu absolutæ, in vnitatem suæ mentis, ac ipsius diuinitatis ascensio, ut rationalis creatura summam vnitatem essentiæ diuinæ feliciter & supernaturaliter assequatur. In quibus ascensionibus anagogicis, exercitacione sedula tandem alluefactus, quoties voluerit, quoties Dei sui memoratus fuerit, toties à formis omnium creaturarum liber & absolutus, expeditè valeat ad eorum altum ascendere: sicut elychniū candela adhuc fumigans, dum ardere supponitur, odoris illius tactu protinus flamma descendens, per virgulam fumi, elychniū adhuc tepidum apprehendit & incendit. Sed huiusmodi necesse est à naturalibus animæ passionibus & inordinatis affectionibus funditus esse liberatos & elongatos, scilicet ab amore, odio, dolore, gaudio, spe vana, & inani timore, cæterisque similibus. Nam, *Nubila mens est, vinctaq; frangis, hæc ubi regnant.* Non denique prosperis eleuetur, nec aduersis deiiciatur: nulla eum extranea cura sollicitet: nullius eum detineat affectio creaturæ: & sic ipsam voluntatem ad vitam spiritualem se præparasse gloriatur. Quæ tria vbi concurrerint, spiritualem causant vitionem, & totius sunt interni exercitij fundamentum.

XXXX

Nunc

Mens quo-
modo illu-
stratur.

Nunc autem videndum est, quo lumine mens taliter preparata, sit illustranda. Pro quo sciendum, quòd sicut claritas solaris tribus modis & differentijs percipitur, scilicet in obiecto, utpote in pariete vel terra: in radio suo, scilicet in aëre: & in seipso, id est, globo vel rota solari; sic etiam diuinus radius spiritui viatoris se tripliciter manifestat.

Radium di-
uinum ma-
nifestari
trifariam.

Primo, in sacra Scriptura, cum sub cortice literæ, per aliquod donum intelligentiæ, sensus anagogicus intuenitur, quo mens veluti per quendam radium ad amorem sui Creatoris multipliciter & mirabiliter erudita dirigitur. Vnde dicit Dionysius in libro de diuinis nominibus: Indicibilia autem casto silentio venerantes, ad illucescentes nobis in sanctis eloquijs splendoris exercemur, & ab ipsis illuminamur. Vnde per lumen illud internum diuinæ gratiæ, tanta sapientiæ dilatatio in Scripturis quandoque conquiritur, ut quot sunt verba in nouo & veteri Testamento, quot creaturæ in mundo, tot anima suscipit intelligentias & sermones, ad Deum & ad punctum amoris omnia referendo.

*Alias spe-
culis.

Secundo verò, diuinus radius refulget in spiritu, quo mens æternis suspensa. *spectaculis, sub admiratione quadam ad meditandum de supercaelestibus, eruditur, scilicet de rationibus æternis, & de æterna generatione Filij, vel de nexu Spiritus sancti, & similibus. Quia sicut per solares radios in aëre resplendentes, oculus materialis ad contemplationem solis erigitur: sic oculus intelligentiæ per immisos radios à sole spirituali, non per aliquam scientiam disciplinam, vel mortalis Doctoris industriam, ad cognitionem supercaelestium occultorum eleuatur. Hinc beatus Dionysius ad Titum scribens, ait: Verrete ad radium. Quasi diceret: non alium Doctorem, nec aliud exemplar assumes ad percipiendum diuina: sed in te ipsam ingredi, & per radios tibi desuper datos, ad contemplationem diuinorum arctius exerce.

*Alias Ti-
moneum.

Quia sicut rationalis spiritus nobilior est ceteris inferioribus creaturis, sic in ipso diuina sapientia per immisos bonitatis suæ radios, nobiliter se manifestat.

Tertio denique fons ille diuinæ claritatis, & beatitudinis sese sua dignantissima bonitate manifestat, sicut aliquando fit in raptu, cum mens scilicet ab omnibus abstracta, & alienata, quantum possibile est, gratia trahente naturam, gratuito dono Creatoris ad diuina rapitur, Deum supereminenter visuram. Per primum lumen ad amorem

vanti-

vnitium ascenditur: secundum autem amorem vnitium sedule
concomitatur. Et quanto mens magis fonti luminis per affectiones
amoris appropinquat, tanto perfectius, & efficacius diuinius radijs
velut ipsi vicinior adimpletur. Sed ad tertium lumen, quod est
fons luminis, mens ipsa singulari dono, suspirijs, & aspirationibus in-
satiabilibus, quandoque tandem peruenire peroptans, sua importu-
nitate diuinitus subleuatur, ac sibi suspiranti diutius dicitur à dilecto:

Amice, ascende superius: vt postea videbitur.

Lucæ 14.

Ceterum, vt pes secundus scilicet affectus in nobis habiletur accu-
ratus, sciendum, quod (vt dicit Hugo) affectus est quædam spontanea,
ac dulcis ipsius animi ad aliquid inclinatio. Et quia secundum va-
riam affectionem, & inclinationem motuum, amores nostri varian-
tur, ideo subtilius est inquirendum, quis amor est respiciendus, quis re-
primendus, & quis amplexandus. Primus igitur affectus est naturalis,
quem quis habet ad carner suam, vel etiam ad amicos suos carnales,
& domesticos: quem affectum sicut impossibile est non admittere, sic
non sequi summæ virtutis est. Semper enim mollior, & suauia sugge-
rit: quod iucundum, voluptuosum, & delicatum est, libenter ample-
ditur: quod autem asperum, & carni contrarium est, cum horrore re-
fugit. Vnde huius affectus executio, peruersus amor est: & qui sic amat

Affectus
quid.

Affectus
naturalis.

animam suam, perdet eam. Ab hoc affectu naturali multum differt af-
fectio charitatiua: quia ille cum homine nascitur, hæc verò à Deo in-
funditur. Secundus affectus est carnalis, qui in primis suis motibus, ne-
que virtus, neque vitium est; sed est quædam hominis habitudo, ani-
mum eius suis incentiuis inclinans: sed hominis est vel recipere, vel
respuere ea. Nam faciliter alicuius forma elegantior, & sermo suauitate
venustior, aspectus quoque ignorantis qualis sit i, se, prouocat, &
perstringit affectum. Quod in puero Moïse apparuit propter elegan-
tiam suæ formæ, *cribis mensibus* occultato à matre, & à Pharaonis filia
adoptato. Qui etiam affectus Dauid ad speciem Bersabeæ prouenit in-
cautum, prauentum dissoluit, dissolutum obruit. Sapientiam quo-
que Salomonis absorbit, & carnali libidine dissolutum, in spiritalis
fornicationis deiecit barathrum. Et hic affectus non meretur habere
nomen veri amoris: sed est idolum longinquum veri amoris, & ple-
nus anxietate, vt dicit sanctus Dionysius de diuinis nominibus: sed
affectio charitatiua plena est iucunditate.

Ioan. 12.

Affectus
carnalis.

Exodi 2.

2. Reg. 11.

3. Reg. 11.

Tertius affectus est officialis, de quo dicit Hugo: Officialem affe-

Affectus
officialis.

cum dicimus, qui munerum, vel obsequiorum exhibitorum officio quorundam animos inclinat, qui quamuis sit periculosus, tamen est admittendus, ne ab officio sit ingratus. Cauendum autem est, ne tam vitio impatiatur, aut faueat, quam homini. Quid enim magis cauendum est, quam ne delinitus obsequijs, vel muneribus illectus, faueas vitio, vel incuria torpeas? Ab hoc etiam affectu multum differt affectio charitativa, quia ille *quærit quæ sua sunt*: per charitatem autem *hinc* la sunt omnium, & omnia singulorum, quia *non quærit quæ sua sunt*.

1. Cor. 13.

Affectus rationalis.

Quartus affectus est rationalis, qui scilicet ex consideratione alterius virtutis ortum sumit, cum nobis alicuius scientia, aut virtus, fama, aut probitas manifestata, mentem nostram dulcedinis, aut admirationis suauitate perfundit: aut nos audita Martyrum triumphali passione, suauissima deuotione compungit. Sic memoriales actus precedentium, quasi sub oculis meditatione delectabili depingit, & ad eorum dilectionem contemplantis animum accendit. Qui nimirum affectus cæteris perfectior est, quia non modicum virtutis est, ipse amor virtutis. Ab hoc tamen affectu differt affectio charitativa, quia hic affectus ratione mediante, ab exemplis exterioribus oritur & excitatur: affectio verò charitativa à Spiritu sancto ad amandum etiam peccatores inflammatur, & ex Sanctorum exemplis multò dulcius afficitur.

Affectus spiritualis.

2. Reg. 13.
Matth. 26.

Quintus affectus dicitur spiritualis, quia vel à spiritu immititur, vel à spiritu inspiratur, & iste est triplex: Nam aliquando à maligno spiritu immititur, cum instigat ad vitia: quo Ammon ad amplexus feroris exarsit: & Iudas in mortem Domini conspirauit. Quandoque verò à spiritu nostro, cum ex ingenta natura, vel studio à exercitationis frequentia oriuntur amorosi affectus ad summum bonum diligendum, utpote quod est summè appetibile: & sic simillimi efficiuntur charitatiue, vel gratitiue affectioni. Nam maximus charitatis gradus est, *ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ut dicit Dominus. Similem tamen gradum ex puris naturalibus multi reperti sunt ostendisse, sicut Augustinus narrat secundo de ciuit. Dei, quòd multi utilitatem reipublicæ, propriæ vitæ præponebant. Quandoque etiam à spiritu diuino inspiratur, qui licet cum prædictis in multis conueniat propter similitudinem actuum, habitus tamen eorum differunt. Primò, quantum ad originem, quia hic à solo Deo supernaturali-

Ioan. 15.

raliter infunditur. *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: sed naturalis affectu cum homine nascitur, & alter per exercitium acquiritur.* Secundò, quantum ad substantialitatem, quia charitas est unificatiua, seu viuificatiua, & purior, ac feruentior. Tertio, quantum ad formalitatem, quia charitas alias virtutes sola per habitus format, & perficit. Quarto, quantum ad finis capacitatem, quia sola charitas spiritum humanum à culpa educit, & conducit in viam: adducit ad dilectum, vnice dilectum dilectio, & copulat summo Deo. Vnde Rabanus in sermone quodam: *Amor diuinus est ignis in meditatione, mentem purificans à sordibus vitiorum: lux est in oratione, mentem irradians claritate virtutum: mel in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine diuinorum beneficiorum: vinum in contemplatione, mentem inebrians iucunda: & suauis dulcedine: sol est in aeterna beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine, & suauissimo calore, exhilarans ineffabili gaudio in perenni iubilatione.* Hæc ille. Sed nullum istorum dilectio acquirita, vel naturalis, sine charitate efficere potest.

Amor diuinus.

De ornatu vite speculatiue, & spiritualis per dona Spiritus sancti, præcipue timoris, pietatis, scientie, & fortitudinis. Cap. X.

Viso de his, quæ ad præparationem vite speculatiue, & spiritualis necessaria videbantur, iam prosequendum esse reor de ornatu eiusdem, qui præcipue consistit in adeptione perfecta donorum Spiritus sancti: quia *caro non prodest quicquam, sed spiritus est qui viuificat*, vt spirituale efficiat. Pro quo sciendum, quod postquam per charitatem, & erectam intentionem in omnibus actibus, & vite suæ moribus, ad Dei laudem, gloriam, & honorem sedule sese quis sustulerit, superest vt humili patientia voluntatisque deiectione, non uas animi diuitias, & dona cum certa confidentia præstoleretur, non importunus exactor, nec anxius suspirator, (quia sic ad susceptionem, & orationem vite spiritualis melius disponitur,) offeratque se sedule simplici, erecta intentione, cum omnibus virtutibus suis diuinis cõspectibus, & in illam sublimem vnitatem, in qua Deus est, & omnis spiritus Deum supernaturaliter amans, sine medio vnum suum, super se & super omnia velut aspirando requiescat: vt sic ex illa vnitate diuina gratia, & dona gratiarum effluant, & huius fluminis imperus. *Psalm. 45.*

Ioan. 6.
Spiritus sanctus p virtutes Theologicas quomodo agat in animam.

Ephes. 4.

ciuitatem vnitatis spiritus nostri latificet. Ex qua nimirum vnitatem vires suprema per gratiam habituata, potentialiter ad omnes virtutes effluunt, & in quam vnitatem rursus refluunt, sollicita *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis* & charitatis, vt postea videbitur. In hac enim vnitatem consistit virtus, initium, & finis omnis creati operis tam naturalis quam supernaturalis, in quantum naturali potentia per gratiam & dona caelestia creaturaliter astitatur. Quoniam ad hoc vnitati vitium supremarum gratiam suam Deus infundit, vt naturalibus viribus habitibus virtutum inuestitis, & per gratiam excitatis, homo semper inuigilet operibus virtuosis: quia gratiam propter operationem virtuosam tribuit, sed seipsum super omnia gratiarum dona, propter fruitionem, & quietem adipiscendam elargitur. Porro, cum anima per fidem naturaliter in supremo sui fuerit subleuata, superueniens Dominus luce sua supernaturali virtutem eius intellectuam clarificat, ita quod plus credit, & confidit, quam exprimi potest, considerans, & inspiciens aeternum bonum, quod expectat adipisci, certissime sperans quod credit, & inspicit. Ex quo mox profluit amor sensibilis in libertate spiritus, cum Deo sperantem vnens, & conglutinans. Sicque cum tribus his virtutibus Theologicis, Spiritus sanctus animam nostram ingreditur, velut fons vitidus septem riuis proflua largitate inundans, qui sunt septem dona Spiritus sancti, animam nostram adornantia, & perficientia in vitam aeternam.

Timor Domini.

Primum ergo donum est amorosus Dei timor, metuens magis Deum offendere, quam damnationem incidere, vel praemium amittere. Facit autem timor tam diuinitati, quam humanitati Christi deuotam exhibere reuerentiam, honorem, & cultum debitum. Facit etiam vitam suam, & omnia opera dispensare diligentius ad honorem Dei, & conformitatem vitae Christi. Facit denique deuotam exhibere reuerentiam, & honorem Ecclesiasticis Sacramentis, diuinis officijs, Christi doctrinis & Sanctorum eius. Cum amore etiam reuerentiali complectitur omnes deuotos imitatores Christianae religionis.

Humilitas.

Ceterum ex hoc amoroso timore, vera procedit humilitas, & abiectio sui ipsius, in consideratione diuinae magnitudinis, & suae paruitatis: diuinae sapientiae, & suae ignorantiae: diuinae opulentiae, & suae indigentiae: diuinae liberalitatis, & suae necessitatis. Quae faciunt eum semper coram oculis Dei, modicum, humilem, & abiectum.

sub.

subiectumque reddunt omni humanae creaturae, veritate cognitionis, & affectu humiliationis. Ex qua humilitate procedit obedientia vera, qua quis Deo, mandatis diuinis, Ecclesiasticis praeceptis, proprijs Prælati, & omnibus hominibus in bonis, & iustis causis propter Deum humiliter, & gratanter obedit, secundum status sui conditionem, personarum exigentiam, & propriam facultatem, prout sancta discretio dictauerit faciendum. Per hanc etiam sensus suos, & vires bestiales, oneribus, & laboribus penitentialibus subiicit, iuxta naturam suam possibilitatem, secundum normam iustae discretionis. In omnibus quoque agendis, vel non agendis, aut sustinendis, propriae voluntati, & sensui renuntiare nititur, diuinum beneplacitum diligentissimè prosequens. Qui sic timorem hunc sibi viscerosius incorporauerit, propriae voluntati, vtilitati, & sensualitati renuntians, de eo loquitur in Euangelio Dominus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Ille nanque solus verè pauper est, qui relictis omnibus, etiam omnem voluntatem suam, diuinæ voluntati per omnia sine cordis retractione subiicit, & Christum Iesum felici imitatione secundum utramque naturam subsequi non desinit. Christus enim secundum naturam diuinam, reuerentiam habuit ad humanam naturam, se humiliando, & subiiciendo; nostram naturam assumendo, & sibi inseparabiliter vniendo, illam exaltando, & deificando, superque omnes Angelicos choros subleuando. Fuit etiam obediens desiderijs, & inclinationibus sanctorum Patrum, Patriarcharum, & Prophetarum. Secundum humanitatem autem cælesti Patri maximam reuerentiam, & honorè exhibuit, in omnibus operibus suis quarens eius honorem, laudem, & gloriam. Humilis & abiectus in obsequio Patris, & totius creature rationalis. Vnde lauit pedes discipulorum suorum, & ait: *Non veni ministrari, sed ministrare, & dare animam meam pro multis.* Erat etiam obediens usque ad mortem paternis mandatis, & legalibus praeceptis, ut merito diceret Isaias: *Replebit enim spiritus timoris Domini.* Sic iste viuens in Dei timore, moralibus virtutibus, & extrinsecis exercitationibus vitam suam excolit, ac diuinis mandatis obediens ad omne bonum intentione simplici, se beneuolum & paratum exhibet. Vnde per fidem & vnicordiam diuinæ suæque voluntatis in agendo & vitando, Deo similis effectus est, ac supra similitudinem in Deo suauiter requiescit. Et si in hoc dono se gratanter exerceuerit, mox illi Deus spiritum pietatis & largitatis elargitur, quo largus, mitis, & benignus factus, magis si-

Obedien-
tia.Matth. 5.
Pauper spi-
ritu verè
quis.Ioan. 13.
Matth. 20.

Isai. 57.

gis similis ac vinacior efficitur, quàm prius, sentitque se magis dilatarum, ac profundatum in virtutibus, & in Deo firmius quàm prius quiescentem: cuius requies & similitudo sibi tantò dulcius sapiunt, quantò similior est effectus.

Secundum ergo donum est quædam sancta liquefactio viscerose pietatis ad Deum, & ad proximum. Quam pietatem, ut dicit Anselmus libro de Similitudinibus, Spiritus sanctus dono tunc oris superimponit, cum menti sic menti sui ipsius compassionem inspirat, que recolere facit, quàm misera erit, si à Deo separata fuerit: qua inspiratione mens illuminatur, omnes operationes pio desiderio in fontem pietatis extendit, & omnem impietatem excludit. Hæc educit hominem ad omnes creaturas, cum misericordia compassiva, quæ molles corde nos efficit, & omni necessitati compatientes, generans amorosam quædam extroversionem, & inclinationem ad omnes creaturas. Facit autem hominem beneuolum, obsequiosum & promptum Deo & hominibus, considerantem diligentius positos in quibuscunque miseris, angustijs, & necessitatibus. Ex quo procedit vera

**Compassio
firma.**

Matth. 19.

compassio, tam erga Christum, quàm eius membra in necessitatibus suis. Ex compassione verò profluunt opera charitatis, quia Deus virtuti charitatis præceptum indidit de septem operibus misericordiæ fideliter exequendis, cum dicit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ex hoc etiam dono procedit patientiæ virtus, quæ custodit, ordinat, & ornat hominem in omnibus aduersis. Porro, si in hoc dono summa diligentia, simplici que intentione se quis exercitauerit, & aduersus omnia vitia forti reluctatu conflixerit, iam tertium donum, scilicet scientiæ, & discretionis accipere promeretur: quo fit discretus, & ratione lucidus, agnoscens quid acceptare debeat vel vitare.

Scientia.

Tertium enim donum scientiæ dicitur. Et est habitus infusus, quo scilicet habetur iudicium certum circa credenda, & agenda, ita quòd in nullo deuiat à rectitudine iustitiæ. Est enim lumen quoddam supernaturale, infusum homini supra vim animæ rationalem, ut vitam moralem secundum omnem perfectionem exercent: ex quo profluit vera discretio, quæ est velut ornamentum, & perfectio quædam vitæ moralis, sine qua nulla virtus perseverantiam consequi potest: quia mater est omnium virtutum. Ex hoc etiam lumine procedit vera cognitio, & despectio sui ipsius, operumque suorum, in qui-

Discretio.

quibus proprio iudicio tam parum proficit, & diligit. Hoc, inquam, donum, rationale exitum nostrum ordinat, & illustrat; in eo, quod foras nos dirigit, & vniuersos modos operum virtuosorum discrete considerare nos edocet. sicut donum intellectus nos ad interna, & superna dirigit. ac vtrumque veritas vna, & eadem in nobis operatur, ad Deum introire nos admonens, & extrosum ad exteriora nos dirigens. Hinc etiam in accessu nostro supernaturali ad Deum cum imaginibus intelligibilibus lumen istud donum intellectus nuncupatur, eo quod exaltat nos, & intellectum nostrum supra naturam eius propriam insignit, & illustrat. Sed cum ad sacram Scripturam, Sanctorum vitas, & vniuersa quæ Deus operatus est, rationabiliter cum imaginibus sensibilibus eximus, & hæc omnia plenitudine scientiæ supernaturalis aspiciamus, tunc lumen istud scientiæ donum appellatur, eo quod nos erudit, quomodo rationabiliter extrinsecus operari debemus, & conuersari, & sensualia rationabiliter, & spiritualiter intelligere. Hoc proinde donum qui salubriter accipere voluerit, necesse est vt in se quandam internam diligentiam habeat semori velle peccatis, & viuere virtutibus, semperque elarius, & perfectius virtutes intelligere velle, & secundum hoc earum acquisitioni velle iugiter insistere. Ad hoc enim scientia Domini sancta nos instigat: & ideo vocatur scientia *Sanctorum*. Vnde pro ea nequaquam parcere debemus impensis, nec alicui labori rationabili, & discreto: quia virtus vniuersis digna est. Sic igitur se quilibet summa diligentia exercitet, ac discretione comite simplicem intentionem suam subsequatur, in virtutibus, ac similitudine, profectu continuo proficendo. Veruntamen, quando in frondibus operum, & floribus morum plus intenderit, quam fructibus virtutum, & omnium causæ finique virtutum, se magis ad sacramentorum signa, & consuetudines extrinsecas exercens, quam ad causam, & veritatem in eis contentam: tandem actiua vitæ limites non excedit, sed sub eius termino deditur exterioribus laborabit, & per opera bona, in Deum intentione simplici relata, eum diuina misericordia saluabit. Propter quod vitam suam, & exercitium ad altiora subrigere debet, ab operibus ad finem, à signis ad veritatem intrando, vt sic forti conatu sursum actus, & factus operum suorum dominus, ac magister, internæque veritatis cognitor, regionem spiritualis vitæ subintrare, ac ad donum fortitudinis peruenire mereatur. Per quod animæ passiones superans, inter-

Intellectus
& scientiæ
differentia.

Scientia quomodo
acquiratur.

Sap. 10.

Exercitia
quæ ad
fiant.

mediantia cuncta conculcans, vniuersa dissipantia propulsans, quasi iam liber effectus ab omnibus creaturis absoluitur, & absque labore se in se recolligens, intus ardore diuinae dilectionis accenditur, & interna deuotione, superna affectione, laude, gratiarum actione, & simplici intentione ad Deum conuertitur.

Fortitudo.

Quartum est, donum fortitudinis, quod ornat hominem in affectiva vita, sicut tria praedicta in vita actiua, quia super omnia temporalia subleuat animum, ostendens, & obijciens rationi proprietatem Personarum, scilicet maiestatem Patris, sapientiam Filij, bonitatem Spiritus sancti, sensibili quodam amore nostrum affectum * intendens, ita quod memoria ab omnibus se expediat, & euacuat: ratio in omnibus operibus suis veritatem summam aspicit: & virtus affectiua, vel voluntas in Dei bonitatem amore sensibili se semper imprimit, & inclinatur. Omnes etiam animae vires interiores, & exteriores in nudam * cogitationem erigere, & vnire conatur. Sciendum tamen, quod fortitudo duplex distinguitur. Quaedam enim fortitudo simplex dicitur, quae facit hominem tam validum, & potentem, quod omnes cordis occupationes, & terrena quaelibet contemnendo deuineat, & abijciat. Quia dum nos donum fortitudinis interioris tangit, perit nos, non in nobis, aut in nostra possibilitate consistere, sed Dei potestati voluntarie nos tradere, ac in illa totum posse nostrum fundare, cum Apostolo dicente: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* & sic in omni periculo tuti erimus. Cui petitioni si perfecte parere voluerimus, nostram voluntatem diuinae virtuti penitus conuincere debemus, & sic in nobis persentiamus veram patientiam, omnem a nobis ambiguitatem, & pauorem, voluntatisque facilem illam mutabilitatem auferentem, ac in Dei fortitudinis dono nos stabilientem. Ex tunc enim quicquid vitiosum fuerit, facile contemnimus, & vniuersa transitoria leuiter paruipendimus, quia de talibus non curamus, & ideo neminem formidamus, sed in solo Deo speramus, in cuius comparatione neminem magnum reputamus. Et tunc omnia opera nostra & vita, tam interior, quam exterior, sapore quodam melleo conduntur, quoniam iam adsistentes throno excellentissimae Trinitatis, mellitas stillas internae consolationis, & dulcedinis, sedule percipimus, sicque iuxta prouerbum legis antiquae, *De forti dulcedo egreditur.* Cuius nimirum efficacissimo tractu, iam omnia quae mundi sunt nihili pendens, quasi funditus obliuiscitur, liber ab eis, & expeditur.

* Alias ascendens.

* Alias cognitionem. Fortitudinem, bipartem.

Phil. p. 4.

Patientia.

Judic. 14.

impeditus permanens, ne eorum viscosa dilectione, vel tumultuosa occupatione ab allectiua conuersione in diuinam bonitatem aliquando valeat impediri. Altera fortitudo duplex nuncupatur, quæ facit hominem etiam diuinas consolationes, & omnia Dei dona superando transcendere, ita quod nequaquam diuinis consolationibus, aut vlli dono Dei se temulentus immergit, aut paci, aut quieti proprii cordis somnolentus inhæret, sed hæc omnia potius aspirando nititur pertransire, vt eum, quem solum super omnia diligit, ad votum valeat inuenire. Vnde ex vi affectiua duplici hac fortitudine vigorata, profluunt diuina laudes, honores, deuotiones, supplices orationes, gratiarum actiones, aspirationes, & consurrectiones corde, ore, intentione, & opere, quibus affectus sensibilis adaugeretur, & inflammatur. Quia diuinum obiectum, quod semper intendit, & aspiciit veluti summam potentiam, sapientiam, bonitatem, largitatem, charitatem, & infinita similia, propter sui profuam, admirandam, & omnifariam oblectationem, eius intuitum rapit, & affectum flammiumis desiderijs incendit. Ex intuitu verò & affectu multiplicatis, & vigoratis, in omni amorosa conuersione ad Deum, cor hominis vulneratur, interius vulneris dolorem perferens. Vnde quandoque tanta dulcedine, & consolatione perfunditur, quod digerere nequaquam valet. Ex quo confestim iubilus oritur, & spiritualis ebrietas. Ex quibus omnibus in eo consurgit insatiabile quoddam desiderium ad satisfaciendum Deo in omnibus virtutibus, & ad amorem vnitium. Quod desiderium nemo satiari potest: nisi solum (quod desiderat) summum bonum.

Ebrietas
spiritus.

De ornatu vite spiritualis, & speculatiua per dona Spiritus sancti, vt per a Consilij, Intellectus, & Sapientie. Cap. XI.

Vlto capite iam precedente de quarto dono Spiritus sancti, scilicet fortitudinis, quo quis omnes occupationes, distractiones, & inordinatas affectiones felici conatu supergreditur, ac amore dilecti diuinas consolationes, & dona caelestia, eius comparatione superando, transire nititur, vt in solo dilecto grata puritate, & fidelitate quiescere mereatur, iam videndum est de quinto dono, scilicet consilij: quod vtique meretur accipere, dum nullo modo à creaturis, vel etiam diuinis donis, impediri proualeat, quin semper sua simplici intentione, & diuina laude subiectus constansque perseueret, Deum

Consiliua.

Yyy 2 super

Tractus
sanctissimae
Trinitatis.

Marth. 9.
Luc. 10.
Ioan. 13.

Effectus
consilij.

Tactus Spi-
ritus sancti
in essentia
animae.

super omnia quærens, & intendens, ac ad gradum altiore[m] semper aspirans. Hoc autem dono consilij Deus Pater fidelem suum intrinsecus trahit, & ad aternitatis suæ dexteram contemplandam, & desiderandam inuitat. Trahit etiam eum Dei Filius sua sapientia ad imitandum, dicens: *Sequere me*, scilicet ad Patrem, nam *unum est necessarium*. Et iterum: *Exemplum*, inquit, *dedit vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Trahit eum demique Spiritus sanctus, cor eius expandens, & patulum reddens, ut in eo sui amoris ignem accendat. Unde mox intrinsecus astuans, amoris vehementiam patitur. Veruntamen, quia de his tribus tractibus in sequentibus latius prosequendum est, in præsentia supersedeo. Hoc igitur donum consilij, quo nos trahit beatissima Trinitas, est quidam internus tactus Spiritus sancti, qui virtutem nostram amatiuam intrinsecus contingit, petens nos vitare vniuersas huius seculi occupationes & tumultus, ac omnia, quæ nos ad exteriora trahere nituntur. Quaslibet etiam intrinsecas multiplicitates nos docet declinare, & vnitatem spiritus adamare. Cui consilio qui obedire studuerit, omni multiplici moritur, & quandam amorosam inclinationem in vnitatem adipiscitur. Porro tactus iste fit supra rationem in ipsa essentia animæ: qui tam nobilis, tam supernaturalis, & subtilis est, quod industria sua ratio nostra quid sit, nec comprehendere, nec intelligere potest. Nam, quanto ratio plus ad hoc inuestigandum laborare conatur, tanto minus proficit: quia specialis operatio quædam est Dei Patris in ipsa essentia animæ nostræ, quam ipsi promeruit, eo quod tam amoroso conatu & ingenti esurie sui affectus sese compulit, & coegit ingredi in illam sublimem, & nudam vnitatem suarum cogitationum, quam tamen vnitatem in esse suo essentiali creaturaliter sentit. Et est similitudo quædam & iucundum præambulum supereminentis vnitatis, in nobis amoris impatientiam excitans. Et ex hoc contactu defluit in ipsam intellectuam virtutem quædam claritas singulari claredine rationem illuminans: quam toties ratio suscipit, quoties sese erigens affectu plenissimo dulciter in illam vnitatem imprimit, & immergit. Denique, qui huic consilio liberaliter acquiescit, amoris impetu stimulatus, diuino spiritu feliciter dulciterque agitur, nec ei quicquam sufficere potest, præter Deum, facileque cuncta derelinquit, ut illum possideat. In hoc igitur dono Deum simplicis intentionis oculo iugiter contempletur, & impetum cordis sui, rationis

fit.

frano coercens, voluntatiq̄ suæ renuntians, complexum vnitatis desiderare liberaliter præstoleatur, donec eam diuina beneuolentia vtro dignata fuerit exhibere. Et sic in eo spiritus consilij duplex fiet. Magnus est enim, & ordinem diuini cōsilij via regia sequens, qui se & omnia deferens, impatientis amoris exarsuanti vehementia proclamat.

Adueniat regnum tuum. Et iterū: *Renat consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Et iterum: *Quam dilecta tabernaculatus Domine virtutum, cinctus scit, & desit anima mea in atriis Domini.* Itemq̄:

Quis dabit mihi pennas sicut columba? & infinita similia, quæ citharedus Domini nobis deprompsit. Sed ille maior est; diuino consilio perfectius obediens, qui propriam voluntatem amoris valetudine superat, & subnixâ reuerentia patienter ad Deum loquitur: Non mea, Domine, sed *tua voluntas fiat* in omnibus. Tali namq̄ conclusione Christus in agonia consilio sancti Spiritus orationem suam terminauit: quod super omnia dilecto Patri complacuit. Sic igitur diuina voluntas humili ac fideli amatori fit summum gaudium, & delectatio maxima.

secundum spiritus sensationem, etiam si per impossibile diuino beneplacito descenderet in infernum, indefessè clamitans: *Paratum cor meum Deus, paratū cor meum.* Et in hoc gradu natura summè suppressitur, Deus autem summè exaltatur. Hinc amator huiusmodi diuini consilij, & beneplaciti aptus efficitur, omnia Dei dona suscipere: quia seipsum & propriam voluntatem penitus abnegauit, omnibusq̄, suis fideliter elargitis, nihil aliud postulat, quàm quod Deus dare deliberat: cuius voluntas summū eius gaudium est, tam in aduersis, quàm in prosperis. Et tunc spiritus noster prouectius sublimatur, & abiectius natura propria conculcatur, tam in humili patientia aduersorum, quàm in affluentia delectabili operum etiam magnorum, æquali utrobique charitate vigente. Quod si in hac sui renuntiatione sine vlla retractione perstiterit, nihil aliud volens, vel affectās, in se spiritum consilij duplicem habet, scilicet agēdi grandia actione strenua bonorū operum, & patiendi ardua, mortificatione propria malorum impugnantium. Sicq̄; natura altissimo decore coronata est, & ipse idoneus effectus est, secundum spiritum diuinitus illustrari, ac donum sextum, scilicet intellectus promereri, quod spiritum nostrum vnies in vnitate stabilis, & luculentissimè veritatem manifestat, latamq̄; charitatem cōmuni beneuolentia profluam parturit. Vnde nos erudita aspicere Deū in vniversis eius diuitijs, & infinita sua bonitate. Nam lumen quoddam est

Matth. 6.

Psal. 76.

Psal. 83.

Psal. 54.

Matth. 26.

Psal. 56.

Psal. 107.

Abnegatio voluntatis.

Intellectus.

Lumen intellectus.

ueris eius diuitijs, & infinita sua bonitate. Nam lumen quoddam est

supernaturale, quod intellectum nostrum in eius celsitudine conatur illustrare: si nos ipsos intrinsicè voluerimus eleuare, & huic lumini cœuiare. Querit enim hoc lumen hominē internū, transitū sensuum, & omnium imaginum sensualium. Petit, inquam, vt naturā moriamur, & in spiritu viuiamus: quia sic interior homo separatur ab exteriori, & tunc statim lumen hoc reperiemus, & in apice intellectus nostri suscipiemus: quia moriendo naturæ donum intellectus suscipimus, & suscipiendo naturæ morimur.

Intellectus
ad solis ra-
dium colla-
tio.

I.
Simplicitas
spiritus.

Ex hoc etiam crescit spiritualis quidam ascendens appetitus ad Deum, qui facit hominem interiorem semper vigilare, ac in Deum viuaciter respicere. Docet nos, inquam, lucidè & sine labore Dei diuitias aspicere, quomodo scilicet cum seipso, & vniuersis donis suis profusa largitate semper effluit, & quomodo cum nobis ipsis & vniuersis virtutibus, quas impendere poterimus, ipsi debeamus respondere. Vnde meritò solis radio assimilatur, qui simplici claritate perfundit aërem, & rerum formas explicans, colorum differentias manifestat, ac calorem viuificum generans, totum mundum pro communi omnium utilitate fecundat. Sic irradiatio doni huius primò quandam in spiritu simplicitatem generat, quæ mox præcipua quadam claritate persuadetur, velut aër lumine solis. Quia Dei gratia, quæ donorum omnium est fundamentū, intellectum nostrum possibilem quasi lumen quoddam simplex per donum intellectus, habitualiter inhabitat, quo simplici lumine, spiritus noster in se constabatur, simplificatur, & clarificatur, ac Dei gratia donisque repletur, Deo similis effectus per gratiā & deificam charitatem. Nec tamen hac similitudine creatur; clare diuine contentus est, quia in summum quoddam & infinitum bonum, vnde emanauit intimo sui procliuio tam naturaliter, quam supernaturaliter inclinatur. Sed & vnitas essentia diuinæ attractione sua sempiterna omnem creaturam ad sui pertrahit vnionem, & ideo in Deum tanquam in suam perennem requiem, tam actuali, quam habituali immersione se profundat. Gratia namque ad Deum se habet vt radius ad solem, & per eam veluti per semitam rectam in diuina ducimur: & ideo simpliciter in nos radius, deiformes nos efficit. Conforme igitur æmulans suum conforme momentis singulis in Deum se profundat, & vnum effectum cum Deo, semper ipsam vnitatem inhabitat. Et hoc est summum & singulare negotium charitatis, in vna scilicet hora tēporis, & actualiter diligere, & habitualiter in dilecto quiescere. Qua-
duo

duo sic ab alterutro confortantur, quòd quò dilectio sublimior est, eò requies maior; & quò requies profundior, eò dilectio intensior, utpote in inuicem vitam & valetudinem possidentes. Cùm igitur sic per similitudinem gratiæ ac virtutum nos ipsos in simplicitate cordis possidemus, & Deum supra nos, per amorem in requie vnitatis, primum gradum doni intellectus adepti sumus, quo spiritus noster in vnitatis stabilitur. Apparet tamen quibusdam non mediocri sanctitate præditis, se nec Deum diligere, nec in eo quiescere. Sed huiusmodi apparentiæ causa amor est. Cùm enim intensius amare desiderant, quàm à proprijs viribus permittuntur, inde in amando deficientes, se non amare querulantur.

Secundò verò per irradiationem huius doni, spiritus noster intellectualiter illustratur, nobilitatem nostram nos edocēs speculari. Tribuitque in omnibus virtutibus, & earum exercitijs veram discretionis regulam iuxta veritatis æternæ legem, & vitam absque errore patienter erudit gubernare. Præterea, in spiritu conuersari docet, ac illuminatæ rationis oculo cælestia simul ac terrena rectè perpendere, debiteq; facit intelligere. Nam in cælo mente conuersans, dilecti sui nobilitatem ac dignitatem contempletur, ac miratur incomprehensibilem eius sublimitatem, inuestigabilem profunditatem, immensam longitudinem, infinitam latitudinem, inscrutabilem sapientiam, infallibilem veritatem; ineffabilem bonitatem & largitatem, & alia infinita sibi attributa. Quæ licet secundum conceptus nostræ mentis diuersis nominibus plurificentur, omnia tamè in Deo vnum sunt, scilicet quædam simplicissima deitatis natura. Dehinc reflectens oculos ad se, & ad vniuersas creaturas, animaduertit eas ex diuinæ bonitatis largitate liberaliter esse creatas, & modis multifarijs esse decoratas, ac inaudita charitate diuinæ pietatis liberalius humanam naturam esse redemptam ac recreatam, donisque gratiarum & virtutum supernaturaliter liberalissimè ditatam & ornatam, demumque bonitatis suæ fruitione gloriosissimè beatificandam. Quæ cuncta spiritum nostrum admiratione gaudiosa latificant, si per amorem deificum habitualiter in Deo mortui fuerimus & sepulti, nihilominus tamè actualiter in spiritu viuentes & conuersantes, *quæ sursum sunt sapiamus*. Vnde donum hoc Coloss. vnitatem illam ostendit, per quam in Deo per profundatum amorem fructiui habitualiter possidemus, & eam Dei similitudinè, quâ in nobis per gratiam & charitatem cæterasque virtutes actualiter habemus.

I I.
Illustratio
spiritus.

Coloss.

Infundit etiam mentibus nostris intellectualis luminis claritate, quo inoffenso pede, ambulantes in spiritu, Deum possumus in spiritualibus similitudinibus speculari.

III.

Tertio, denique per irradiationem huius doni amativa virtus, id est, voluntas affluentia largifluae charitatis, & communi benevolentia inferuiscit: quia donum hoc per cognitionem veritatis, quam in eius lumine cōsequimur, commune charitatem in nobis generat: quia di-tiores interna simplicitate, sunt corde mansuetiores & pacatiores: sunt, inquam, in diuinitatis pelago profundatiores, intellectu clariore, bonis operibus vberiores, & affluentia charitate communiore. Paucioribus etiam impedimentis intercipiuntur, quia Deo simillimi sunt, qui simplicitas est in essentia, claritas in intelligentia, ac affluentissima cōmunissimaq; charitas in suae operationis influentia. Et quanto sumus in his tribus similiore, tanto sumus ipsi vartiores ac viciniore. Mentis igitur simplicitatem summa custodia conseruemus, per eam omne imaginem & similitudinem, quoad fieri potest, transcendentem, luminosaq; ratione cuncta consideremus, ac omnia cōmuni charitate profundamus. Debemus enim semper cum Deo in vnitate manere cum Deo & omnibus Sanctis communi charitate semper effluere, profluereq; laudis, & gratiarum actionis semper in idem reuerti, ac penetratiui amoris pondere semper in habitualemente fruitionis requiem immergi. Et haec est opulentissima vita, quam nouimus, qua donum intellectus plenarie possidemus.

Simplicitas
mentis ser-
uanda.

Ceterum, in refluxu fruitionis, vnitas se habet vt caligo quadam modi nescia, quaedamque immensitas incomprehensibilis, vnde per amorem, ac simplicem intencionem accedit spiritus, omnes virtutes actualiter offerendo, ac seipsum habitualiter fruitiueq; supra omnes virtutes. Inter quas oblationes amatorias, septimum donum exoritur, scilicet sapientiae. Quod donum est quidam diuinus tactus in vnitate spiritus nostri, fontana scaturigo gratiarum, donorum, & omnium virtutum. Nam spiritus Dei fons est omnium donorum, cuius supremus riuus amoris, est donum sapientiae: quo riuo tota humanitas Christi fuerat perfusa. In hoc autem dono sapit vniciq; suum exercitium, & vita, secundum tactus huius virtutis, & amoris sui mensuram. Qui tactus nouissimum medium est inter nos, & Deum; inter actionem, & quietem: inter modum, & modi priuationem, quae Deus in nobis ante omnia dona primordialiter operatur, nouissime tamē a nobis in propria

Sapientia.

propria sua natura cognoscitur, & sentitur. Postquam enim affecti mente simplices, otiosi, ab imaginibus densati, immobiles, liberi, nobis mortui, Deo viuidi, sic Deum in nostris exercitationibus vsque ad intima spiritus nostri, amoris scrutinio quæsiuimus: tunc demum gratiarum, & donorum omnium illapsus sentimus in vnitate supremarum virium, supra rationem, non tamen præter rationem: quia nos tangi percipimus, licet in consideratione tactus huius ratio, & omnis creata cōsideratio deficit, & refellitur, eò quòd irradiatio luminis incomprehensibilis, in vnitate virium supremarum tanta magnitudine se offert, quòd omnis operatio creata discretiua consideratione operas labefieri, & cessare, praxisq; nostra solummodò diuinam operationem pati compellatur. Quòd si Deum nostro captu comprehendere valemus, seipsum nobis nullo medio intercedente donaret. Sed nunc capabilia nobis dona secundum captus nostri mensuram, & exercitiorum nobilitatem infundit, quia secunda diuinitatis vnitas, desuper imminens vnitati virium nostrarum, exigit similitudinem charitatis, & virtutù. Ob hoc etiam singulis momentis nouo tactu tangimur, vt maiori similitudine semper innouemur. In innouatione verò tactus illius spiritus in esuriam, & sitim spiritualem incidit, supereminente diuinitatis abyssum auido gustu per amoris impetum penetrare volens. Ex quo desiderium quoddam insatiabile generatur, summis viribus elaboras capere bonum incapabile, & immensum metiri, sed frustra. Quia licet omnis amans secundum nobilitatis suæ modum, & diuinæ charitatis tactum famelico desiderio fertur in Deum, Deus tamen secundum practicum desiderium nostrum æternaliter manet incomprehensus. Hinc in nobis esuries, & inhiatio desiderij sempiterni permanet, diuinæ quoque abyssi immensitate nostro conatu obuiante, in ipso occursum tam magna, & immensa claritas, & intentio feruoris generatur, quòd spiritus noster ab operatione sua retrusus feriari cogatur, & in sui vnitate sensibilis amoris incendio liquefieri, ac paulominus annulari, ad diuinam operationem sicut pura creatura quasi passiuè se habens. Et in hoc gradu, gratia Dei nostræque virtutes factæ sunt amor sensibilis, proprium subiectum afficiens, sed circa obiectum deficiens. Quia spiritus noster, extremo quodam defessus anhelitu, ab omni opere destitutus est, & amor effectus. Vnde simplex, & aptum receptaculum est omnium donorum, habilis ad omnes virtutes.

De consurrectione vitæ speculatiuæ, & spiritualis, secundum partem
hominis inferiorem. Cap. XII.

Vlso de adoratione debita vitæ spiritualis secundum gradus, & differencias donorum Spiritus sancti, iam de consurrectione vitæ spiritualis prosequendū esse reor, qua noua nobis gratia semper superinfunditur, vt amans spiritus ad centrum suæ consurrectionis introduci mereatur. Et primò de consurrectione secundum partem hominis inferiorem, scilicet secundum vnitatem virium sensitiuarū, Quæ nimirum consurrectio quatuor gradibus perficitur, semper eum ad altiora vitæ spiritualis subleuantibus, & digniorem exercendi materiam ingerentibus. Nam primò diuina gratia profuis irriguis influens inferiorem partem hominis, scilicet sensitiuam intrinsecus excitat, & stimulat, vt eum toto corde totisque viribus sursum trahat, exigens cum Deo amatoriam conficere vnitatē: quem tractum sentit in corde, in vnitatem virium sensitiuarum, & præcipuè in vi concupiscibili: quia tractus huius negotium agitur in inferiori parte hominis, quam priusquā ad altiora tendatur, emundari necesse est, & igniculo charitatis superpositam sursum agi. Hic autem internus stimulus adfert, & auferit; pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublimat; delicias ingerit, & tristitias; sperare facit, & desperare de seipso; ac indicibilia sunt contraria, quæ alternatis vicibus hic contingunt.

Ad maiorem autem euidentiam, hanc diuinam gratiam nos stimulantem, & ad spiritualem consurrectionem excitantem assimilare possumus illuminationi solis, & eius efficientia super terram. Sicut enim sol oriens mox in occidentalem partē in mundum illuminat, & cuncta calore viuifico refocillat: sic sol iustitiæ, suprema spiritus inhabitans, inferiorem hominis partem, cor scilicet cum omnibus sensitiuis potentis sibi radicaliter coniunctis, subito motu illuminat, & accendit, cor liberum reddens ab omnibus, & omnes simul animæ vires, in virtute sui Spiritus illuminat, & accedit. Igniculo verò charitatis in corde lucenso, mox omnes animæ vires sensitiuæ, in suam originem concurrentes, sui cordis vnitatem celebrant, quam nemo veraciter possidere potest, nisi in cuius corde Spiritus sanctus ignem accendit amoris, vbi anima, tanquam in regali lectulo decumbens, in pace suauiter requiescit. Ex hac autem vnitatem cordis, compunctio generatur, non quidem doloris, sed amoris; quia tunc anima in se operationem in-

Consurre-
ctionis spi-
ritualis gra-
dus quatuor.

I.

in Reg. 2.

Effectus
solis.

actio.

actionis diuinæ persentiens, ad reamandum compungitur, & totis vitalibus inardescit. Ex qua compunctione mox quædam amoris affectio generatur, cor & vim appetitiuam compungens, & penetrans. Est autem amoris affectio, quidam sapor in Deum cordis appetitus, tanquam in summum bonum omnis boni contentiuum relatus, qui omnibus creatis valedicit, ne scilicet in earum abusu sensualitatis concupiscentias foueat, quia sentit se contractum intrinsicè æterno amore, cui super omnia diligentiam adhibere concupiscit. Et ideo facile contemnit omnia, vt quod diligit assequatur. Vnde ex hac affectione consurgit deuotio cordis, diuinæ laudis, & honoris, & gratiarum actionis prodiga flamma, quasi flamma altaris incensi, in qua boni odoris thymiana gratitudinis adoletur, quod igne non redolet alieno. Hoc autem thymiana conficitur ex omnibus speciebus pretiosissimis beneficiorum Dei, in creatione, recreatione, gubernatione, redemptione, glorificatione. Quas congerit compunctio, conterit affectio, incendit deuotio, & olfactui diuino in redolentem odorem laudis offert gratitudo. Ex gratitudine verò nascitur in corde geminus dolor. Vnus ex defectu diuinæ laudis, honoris, & gratiarum actionis; alius ex desiderio profectus, & incrementi virtutum, in quo semper se deficere dolet. Qui nimirum dolores, radix sunt & fructus, principium, & finis omnium virtutum vitæ spiritualis.

Amoris
stimulus.Thymiana
mythicum
quod.Dolor ge-
minus.

Secundus gradus istius consurrectionis perficitur in voluptate spiritualium deliciarum, quarum suauitate gustata, repente cor, & omnes sensitiuæ potentie, tanto torrente voluptatis internæ potantur, vt se spiritus amans æstimet diuini amoris amplexibus penitus inuolutum. Quæ delicia cunctis mundi voluptatibus sunt maiores, etiam si omnes vna capere posset creatura. In cuius voluptatis infusione Deus per dona sua cordi sic affecto pariter illabatur, tantæ suauitatis saporem, & iucunditatis consolationem secum ferens, vt cor ipsum voluptate dulcissima faciat intrinsicè exundare. Cordis etiam tam ingens causat profluium, quòd se homo præ vberitate lætitiæ nequeat continere. Nec mirum, cum ebrietatem parturiant spirituales. Est autem ebrietas vberior affectiui saporis, & internæ voluptatis in corde receptio, quàm ipsum cor dirigere possit, aut desiderium exoptare, diuersis corporis gestibus profluens, & exundans. Quidam etiam cantibus diuinis, quidam vberibus lachrymis vberitatem dul-

II.

Psal. 35.

Ebrietas
spiritus.

cediunt exprimunt. Aliquorum etiam membratam impatiens occupat titillago, quod eos cogat, aut currere, aut salire, aut pedibus tripudiare, aut manibus plaudere, vel membris tremere. Quidam etiam intra se dulcedinis voluptate liquecunt, infinitaque similia continent in illa. Et haec est deliciosissima vita secundum cordis affectionem, quae haberi potest ab homine. Unde tanta quandoque deliciarum veritate repletur, ut cor eius quasi vasculum multo plenum absque spiraculo, subitam mineur rupturam. Tu autem fidelis amator, si sapiens fueris, sicut apis argumentosa, singula Dei dona, tam praeterita, quam praesentia, rationis, & considerationis alis circumuola, charitativaque discretionis aculeo, sic singulas diuinæ consolationis suauitates deliba, ut nusquam moras contrahas, sed ex omnibus materiam mellis, id est, laudis, & gratiarum actionis enucleas, omnis ad diuini amoris enucleum unitatem, in qua cum Deo manere desideres in aeternum.

III.

Tertius proinde gradus istius consurrectionis, quaedam ingerit inuitationem, & affectionem, altius adhuc, & purius cor amantis intrinsecus ad unitatis suae complexum attrahentem, & in nouo gradu exercitij altioris erigentem. Haec enim inuitatio super omnes priores delicias cor amantis afficit, & delectat, quo consolationis, & dulcedinis suae donis quantumlibet praecipuis post tergum positis, suam nobis amantissimam praesentiam, & amplexus dulcissimos amulatus, humilique laude, & intima gratiarum actione, ad diuinarum diuitiarum pelagum (unde cuncta dona profluunt) reuertentibus, omnes animae nostrae vires ad se ipsum trahere nititur, inferiorem animae partem eleuans, & exornans. Corde vero sic ad tantarum deliciarum conuiuium inuitato, mox toto affectu hiantibus arterijs se dilatat, & expandit, ac omnes animae vires ad pacis, & charitatis vnclinium toto se desiderio preparant, & ornant. Haec autem inuitatio, est quaedam aeterni solis illuminatio, cor ipsum tantae delectationis gaudio tam patulum reddens, ut nulla queat humana virtute recludi. Et ideo cor intrinsecus vulneratur, & amoris lationem patitur, sed non tristitiam: quia amoris vulneratio, est dulcissima passio, & grauissima poena. Est etiam verissimum signum post futuram sanitatis, causans pariter gaudium, & dolorem. Nam sic vulnerato splendidus sol iustitiae Christus radios infundit suae claritatis, & ad suam rursus unitatis complexum inuitans, cordis vulnus renouat, & relidit. Porro Christo per gratiam suam inuitante, & ad vnionis osculum corde se totis viribus erigente, nec tamen unitatis

Corde
appetit.

Vulnus
amoris.

unitatis copulam consequi prævalente, mox in languorem incidit spiritualem. Et sic recens feruor, additus priori, corporis humores absque labore externo adurit, consumit, & siccatur. Sed ne paleas lector sane: nam languor iste *non est ad mortem*, sed vt manifestentur opera Dei. Sic namque felici anima diuini complexus osculum consequi non valente, & eo carere non volente, amoris impatientia generatur, tam exteriora, quam interiora intolerabili aestuatione perurgens. Qua durante, nullius eam vsus creaturæ delectat; omnia sustinere parata, vt id, quod amat, obtinere valeat. Nam amoris impatientia cor amantis comedit, & sanguinem eius bibit, quia validior est omnibus gradibus spiritualis ardoris. Vnde etiam hoc in gradu feruor cordis internus validior est cunctis gradibus huius spiritualis, corporalem naturam absque exteriori labore conterens intrinsecus, & consumens, fructusque spiritualium virtutum magis decoquens, & perficiens: quia radij diuinæ claritatis plerumque tanto feruore cor impatientis amatoris inuunt, quod intimum sanguinem faciunt ebullire. Nam aliquando tam anheloso desiderio, & aestuanti impatientia cor impatiens, à carcere corporis absolui desiderat, vt illi quem diligit vnatur, vt se se vix in hac mortalitate sustinere valeat, cum Apostolo clamitans: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quo fit, vt oculis cordis in cælum totus intentus, caelestem aulam plenam gloriæ contempletur, & dilectum suum gloria, & honore coronatum, vbertate voluptatis suæ Sanctos vniuersos inebriantem, se verò velut exulem à patria, multisque calamitatibus circumdatum. Et hinc interdum nascuntur lachrymæ, & gemitus, & anhelosa desideria multiplicantur. Quæ lachrymæ cor illius tepore roris fluo, vel in modico refocillant, vtiles profectò naturæ corporeæ ad seruandum valetudinem corporalem, quò sic facilius amoris impatientia toleretur, vt salus, & vita corporis non amittatur. Huic autem impatienti amoris nonnunquam ^{*} spirituales gratiæ conferuntur. Nam interdum in *excessu*, vel excessum spiritus rapiuntur, & de veritate sibi, vel alijs necessaria verbis aut imaginibus corporis aut similitudinibus spiritualibus edocentur, vel etiam de futuris eis aliqua reuelantur: quæ visiones, vel reuelationes dicuntur. Quæ si fuerint Angelo operante Dei virtute, figuris imaginarijs exhibitæ, in speculo imaginationis ostenduntur. Si verò fuerint veritates intellectuales, vel

Ioan. 11.
Languor anime amantis.

Rom. 7.

Lachrymæ amoris.

* Alias speciales.

Reuelationes fieri multis modis.

Zzzz 3; fini

similitudines aliquæ spirituales, quibus seipsum Deus utcumque reuelat, oculis intellectualibus ingeruntur, & quantum facultas suppetit, verbis deponi possunt. Aliquando etiam in mentis excessum amator impatiens rapitur, licet non penitus extra se, in quoddam scilicet bonum incomprehensibile, quod iuxta e. m. modum quod vidit, vel audiuit (quod in hoc intuitu simplici idem est) nullis valet sermonibus explicare. Et hoc solus Deus, absque alicuius creaturæ adminiculo, operatur, & raptus vocatur. Quandoque verò Deus subitis fulminibus coruscet in spiritu, quæ scilicet ictu brevissimo splendescencia spiritum supra semetipsum velut in momento rapiunt, sed ipso lumine mox disparente, reuertitur ad seipsum. Et hæc est solius Dei præcipua quædam, & excellens operatio, quæ reddit eos intellectualem lumine coruscant, quos dono tam singulari visitare dignatur. Interdum denique patiens amoris impatientiam, spirituali quodam lumine (Deo, quo placuerit medio, id agente) irradiatur. Ad cuius luminis blandam faciem, appetitiua cordis affectio medullitus delectata, dum in occursum illius impetu se flammeo valenter erigit, mox, sicut *mustum absque spiraculo nouus dirumpit lagunculas*: ita cupido cordis ex occurso luminis huius, tanto torrente potatur insolitæ voluptatis, ut liberalitatem noui gaudij, quod ob angustiam proprii captus intra se minime continere sufficit, voce corporea eructare cogatur, & iubilus nuncupatur. Qui est gaudium cordis, quod nec verbis explicari potest, nec penitus reticeri; sed inuitabiliter velit nolit extrinsecus reboat, proprias vices seruans, donec exercitium illud omnino consummauerit. Interdum etiam tantam Deus impatienti cordi dulcedinem suauitatis infundit, ut cor in delitijs veluti piscis in aquis innatet. Quidam denique intima deuotione suspensi, reuelantibus Angelis per somnia crebrius edocentur, sicut *Angelus Domini Ioseph in somnis apparuit, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et iterum: *Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Et iterum cum reuersurus erat ex Aegypto. Multisque locis Legis veteris ab Angelis hominibus edoctos per somnia reperimus.

Iob 32.

Iubilus.

Math. 1.

Math. 2.

Reuelationes falsæ.

Hic tamen diligentius intuendum est, quod multi vigilas sensuum inueniuntur obseruare, qui multarum cogitationum immersionibus, quasi quibusdam reuelationibus, suo iudicio se reputant abundare, vel etiam miranda per somnia videre. Sed hi, quia sensuum nego-

negotijs intendunt, impatientiam amoris ignorant, vulnera charitatis nesciunt: sed dilectionis languore minime detenti, sani & agrius elanguescunt. Nam angelus Satanae, se transformans in *Angelum lucis*, 2. Cor. 11. ad deceptionem insipientium, incautorum, vel elatorum, qui pleni sunt vanitate, & vacui charitate, lumen quoddam phantasticum infundit intrinsicus, à quo se sentiunt, veluti sacco penitus obuolutos. Et quia semper ad tales nouitates & reuelationes aspirant, in hoc lumine multa mirabilia per imagines phantasticas percipiunt. Quedam enim diabolus immitit cogitatu, quasi diuina fuerit inspiratio: quae quidem aliquando vera sunt, sapius autem falsa. Et haec nimis gaudenter ab inexpertis acceptantur, & tanquam diuina stolidè venerantur, ac in talibus incrimo cordis gaudio delectantur. Quo fit, quòd ab inani gloria paulatim depasti, virulento pabulo, diuini amoris affectum iniiciunt. Aduertens ergo Satanas misellum fatuum vanis visionibus delectari, vices multiplicat, visiones ingeminat, vt infelicem illudat, donec tandem immisionibus friuolis ingesta, veraciter asserere, & pertinaciter defendere non formidat, simul cum operum suorum fructibus in barathrum serpentinae seductionis, & maledictionis ruiturus in aeternum. Qui verò per vias praemonstratas inceserint, quamuis possibile foret huiusmodi diabolico lumine quandoque tentari: difficile tamen esset eos per hoc aliquatenus superari. Haecenus de triplici gradu huius consurrectionis dicta sufficiant.

De quarto gradu huius consurrectionis, qualiter exercetur in calicis sanitate, & infernali languore. Cap. XIII.

Vlto de tribus gradibus consurrectionis secundum partem hominis inferiorem, qui perficiuntur in prosperitate & affluxu diuinae gratiae, iam prosequendum de quarto, & supremo gradu eiusdem, qui perficitur in aduersitate, & retractione diuinae gratiae. Pro quo sciendum, quòd qui peruenire desiderat ad perfectam diuinam unionem, necesse est, quòd Deo viuat secundum sui totalitatem, ita quòd diuinae gratiae, & inspirationi satisfaciat, & in omnem perfectionem virtutum ac spiritualium exercitiorum subsequatur. Sic, inquam, in Deum per charitatem eleuatus, & sibi suisque operibus perfecte mortuus, sicque cum viribus suis cedens super informationem incomprehensibili veritatis (quae Deus est) patiendi sui, cupiat. Et sic viuendo potest in virtutes egredi, ac moriendo in Deum ingredi. In quibus omnis

Zzzz 4

nostra

nostra perfectio consistit. Quae duo simul iuncta, sunt sicut materia, & forma; corpus, & anima, sicut postea latius videbitur. In his autem duobus exercitijs clarificatur quis in intellectu, dicitur & superfluit in sentione, & affectu. Unde setorum dirigit ad Deum erectis viribus, puris intentionibus, vigorosis desiderijs, argumentosis viuacitatibus. Hinc etiam facit eum amor in omnibus esse sui iuris, quia sequitur amorem in omnibus impulsibus suis, & qualitercunque moueatur ab eo, semper in amore, & virtutibus proficit.

Motus amoris.

Amor autem mouet vnumquemque secundum exigentiam suae dispositionis, habilitationis, & exercitationis, quia gratia naturae cooperatur & exercitijs. Vtilissima tamen eius motio consistit in duobus, scilicet in caelica sanitate, & infernali languore: quorum vicissitudinem omnem amantem spiritum sustinere necesse est. Hinc etiam utrique conuenientibus sibi exercitijs fideliter correspondere debet.

Sanitas caelica.

Nam caelica sanitas ipsum eleuat super omnia in quandam imperturbabilem libertatem, Deum, secundum omnifarium desiderium cordis, & animae, laudandi, & amandi. Cum enim Deum quis in se sentit cum multitudine diuitiarum suarum, hanc sanitatem adeptus est, quia ex hoc sapiens efficitur, illuminatus ratione, profluus doctrinis caelestibus, & anagogicis, feruidus, & largifluus, charitate superplenus, & ebrius spirituali laetitia, & sentione, fortis, & agilis, ac industrius in prosecutione diuini beneplaciti: & alia innumerabilia consequitur, quae sola docet experientia, sicut in praecedentibus tactum est, & in sequentibus prosequendum.

Languor infernalis.

Languor autem infernalis hominem deiecit in omnem desolationem, & priuationem omnis saporis, & consolationis. Licet enim interdum caelica sanitas seipsum ostendens confidentiam, & spem ingerat, cui vix contradici potest, statim tamen iterum deiecit in desperationem, a qua vix subleuari, vel consolari potest, quasi nunquam electus esset a Deo. Tunc enim sentit se miserum, & peccatorem, quasi nullam de Deo, vel vita spirituali motitiam habentem. Omnis consolatio creaturarum est ei desolatio, cum tamen ex altera parte diuina consolatione penitus sit priuatus. Inter has ergo duas mensas famelicus sedens, & desolatus, facta sunt ei

Psal. 41. Sagitta diuina probationis prima.

lacrime eius panes die ac nocte.

Hic igitur confurgit quartus gradus spiritualis resurrectionis, secundum partem hominis inferiorem, quo diuini splendoris ac feruoris subtractio, & amantis desolatio interiorem animae partem, ad altio-

altiora virtutum exercitia prouehit, & nouo vitæ spiritualis ornatu decorat. Nam ipse quondam opulentus, & omni suauitate refertus, ac amoris ardore astuans, iam se pauperem inuenit, & tepidum, à Deo derelictum, & ab omni dulcedine desolatam, *sedens* que cum Iob in sterquilino desolationis, & præterita considerans, querulatur, & dicit: Nonne tu eras ille quondam potens, & diues inclutus, & nullius indigens, qui terram despiciens, in caelestibus versabaris, nec ullis Dei donis contentus, ad solius deitatis inhiabas amplexus? Vbi nunc virtutum diuitiæ, amoris deliciae, suauitates consolationis interna, præ cuius dulcedine, dulcibus lachrymis, flammis suspirijs, mellitis laudibus, desiderijs, & gratiarum actionibus deuotissime redundabas? Et hæc est prima sagitta diuinæ probationis, qua discernuntur serui fideles ab infidelibus. Sed, pro pudor, quam multi sunt in quibus diuina consolatione subtrahitur, charitatis, & perfectionis feruor infrigescit, ita quod in virtutibus, & operibus bonis protinus labefacti, carnis mollitiem, & corporis quietudinem etiam extra discretionis regulam concupiscunt: Quia nimirum nonnulli diuini optant consolationibus refici, si tamen has sine suis laboribus valeant adipisci: sin autem, in creaturis venantur solatia, à quod interdum damnosa sequuntur pericula. Quidam etiam pusillanimes, & renelli sibi videntur, & ideo quicquid humanitatis, & solatij suo corpori quiescere exhibere, totum sibi necessarium suspicantur. Sed meminerint scriptum esse: Quia Dei sapientia non habitat in terris *suauiter uiuentium*. Et hi quidem licet mortale vitium statim non incurant, ardor tamen deuotionis minuitur, & internum cordis exercitium præpeditur, ac diuinæ suauitatis, virtutumque sapor obtunditur. Quidam autem post acceptas diuinæ suauitatis epulas, ad tempus à Deo derelinquuntur, licet non vsquequaque: qui plerumque instabilitatis ægritudine laborantes, diuersis inordinatis appetitibus agitantur. Nam hodie modum vnum eligunt viuendi, cras autem alium, sicque infinitis circumferuntur inconstantijs. Cuius ratio est, quia cordis intentione, & industria plus virtutum operibus & exterioribus cultibus inuigilat, quam Deo diligendo, & ad eius unitatis complexum anhelando. Vnde quamuis per hoc gratia non amittitur, eò quod in virtutum actibus Deus intenditur, inconstantia tamen animi enutritur, quia supra omnia virtutum exercitia in Deum animus se quiescere non experitur. Vnde thesaurum preciosum ignorans

In fidelitas
in derelictione.

Iob 28.

Amici instabiles.

A a a a a rans

Natura
quæritio.

rans in agro suo gerit absconditum, quia quem in semetis virtutibus, & operum gyronagus quæritat, hunc supra suam intentionem, & omnem virtutum, & exercitiorum multitudinem, in suæ mentis solitudine non habet. Ut igitur inconstantiam suam curet, super omnia in Deo, & in eius unitate sublimi requiescere discat. Quidam denique ad Deum eriguntur, intentione quidem recta, sed non simplici, cum aliquo scilicet extraneo iuxtaposito, quod sub eadem intentione pariter extraordinariè quæritur. Vnde in omnibus, quæ agunt, natura quod suum est occultè venatur, eis nihilominus plerumque quæstionem hanc ignorantibus, utpote propriam notitiam non habentibus. Et hi similiter vitam suam diuersis modis mutare proponentes, & diuersa consilia quærentes, hodie vnum eligunt confessorem, cras alium. Et sicut importuni sunt in exigendo consilium de singulis, sic raro consilium cuiusquam exequuntur: sed in consilijs sibi vituperata defendere, reprobata excusare, & probare, damnata verò saluare conantur. Et quidem occultus amor sui, & elatio cordis abscondita, huius constantiæ potissima sunt fomenta. Et hi oram inferni lubrico pede perambulant, in profundum barathri, si paululum nutauerint, prolapsuri.

Sagitta di-
uinae pro-
bationis
secundæ.
T. b. 12.

Ceterum, qui in hac tentatione serui fideles inueniri fuerint, illos Deus secunda probationis sagitta aggreditur, sicut Tobia dictum est. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Hi namque non solum spiritualibus consolationibus denudantur; sed in super infinitis tribulationibus, & tentationibus exponuntur, tam spiritualibus, quam temporalibus. Qui tantis calamitatibus fracti, si necdum ad amicitia perfectionem peruenerint, iam incipiunt desperationis lapsum timere, & in desperationis limen impingere, veluti in stationis ultimo termino constituti. Et hic quidem amici veri fidelitas comprobatur. O verè fidelis amicus, qui circumdatus undique tribulationibus innumeris, dicebat: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Cuius fidelitatem si quis voluerit imitari, confidat se à Deo non odiosè, sed amorosè derelictum, humiliq; corde retrahat se nihil habere, quod non acceperit: & ideo, sicut gloriari non debuit, quasi non acceperit; ita nec nunc contristari debet, quod aliunde acceptum amiserit. Vnde sedeat cum Iob humiliter in puluere miseriarum suarum, & virtute crucifixi, quæ ut testis aruit, impatientiæ sanem radat, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut*

Fidelitas
vera quæ-
ritio.
Iob 13.

1. Cor. 4.

Psalm. 21.

Iob 1. & 2.

sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.
 Reuoluat, inquam, quomodo Christus in tantis angustijs & pressuris suae passionis & mortis, à dilecto Patre fuerat etiam internis delectationibus priuatus secundum inferiorem hominem. Insuper ab inimicis erat illusus, vilipensus, innumerabilibus iniurijs affectus: tandem ignominiosissima morti addictus est & crucifixus: obediens tamen in omnibus dilecto Patri permansit vsque ad mortem, cum tanta patientia, mansuetudine, & inextinguibili amore, crucifigentium malitiam excusans, veniam pro eis deprecans, omnes conuertentes in suam gratiam recipiens. Et nos similiter si viuentes in angustijs nobis omnino morimur, tunc *omnino nobis in bonum cooperantur.* Nam Christus cum se totum obtulit voluntati Patris, in hac sua renuntiatione amor eius tanti vigoris & ardoris erat in spiritu, tantaque pressura & angustia in natura, quòd omnia membra eius superbenedicta sudorem sanguineum sudabant decurrentem *in terram.* In qua sui ipsius renuntiatione nos sibi vendicauit amore suo ad seruiendum ei: in passione verò & morte debitum nostrum soluit, vt sui iuris essemus, morientes vitijs, concupiscentijs, & omni prorsus proprietati. Si ergo eum sequi cupimus, propriae voluntati renuntiare iubemur, & eius beneplacito per omnia subditi: & sic eius emptio confirmatur in nobis. Debemus etiam restringere sensus, deuincere naturam, tollere crucem, sequi Christum, vt sic ei debitum pro nobis solutum sollicitè reddamus, quia per eius mortem & nostram voluntariam poenitentiam eidem vnimur, & serui fideles efficiamur. Sed ubi nostrae voluntati etiam in aduersis morimur, vt eius beneplacitum fiat velle nostrum & desiderium, ibi eius dilecti amici efficiamur. Moriens ergo sibi, diuino beneplacito totaliter se offerat, dicens: *Fiat voluntas tua,* tam in aduersis, quàm in prosperis. Totus enim tuus sum Domine. *Tolle quod tuum est, & vade:* quia paratum me senties ire, siue in infernum, siue in paradysum, si tuae dulcedini sic complacuerit. Et sic renascimur spiritualiter, à Spiritu sancto verè liberè effecti, quia spiritus noster per amorem eleuatur in vnitatem diuini spiritus, libertatem vnam cum Deo possidens. Qua libertate spiritus noster supra naturam propriam eleuatur, id est, supra pœnas, labores, angustias, perplexitates, sollicitudines, timores mortis, inferni, vel purgatorij, & supra omnes aggrauationes, quae contingere possunt in corpore & anima, in presenti & in futuro; quia

Luc. 23.

Rom. 8.

Luc. 22.

Abrenun-
tatio.

Math. 6.

& 26.

Math. 20.

consolatio & desolatio, dare & accipere, vivere & mori, & similia, subter amorem illam remanent libertatem, qua spiritus eius unitus est spiritui diuino. Vnde etiam nebulosa illa tenebrosa cito pertransierit, & claritas solis iustitiae totam regionem maiori gratia & consolatione perfundet, quam ante. Quod utique meruit per abnegationem seu abrenunciationem sui ipsius, & humilem vnicordiam diuinae voluntatis in omnes angustias & tribulationes. Et ideo gratia Dei clarificabit & adimplebit omnia interiora eius. Et tunc sentiet quod eum Deus diligit, & ipse Deo placeat & in hoc tota natura eius interna consolatione replebitur, ac sanguis eius in venis mirabili calore quasi bullire videbitur, ad omnia membra diffluens. Cor etiam oblectatione vehementi seipsum expandens, exhibet ad opulenta mirra donorum & gratiarum altioris vitae recipienda. Sic affectiua virtus ad Deum aspiratione mirifica se patulam reddit, velut flamma quaedam ignea deuotionis internae cum laude & gratiarum actione. Dehinc anima declinat in detestationem & indignationem sui ipsius. Ratio quoque defectus & negligentias multiplices ostendit, in quibus sibi ipsi displicet, indignum se reputans diuinis consolationibus & beneficijs, dignumque desolationibus vniuersis, licet Deus sola sua infinita largitate dona sua tam largiflue communicat. Et in hoc magis in Dei laudem & gratiarum actionem animus accenditur. Sic iugiter exerceat ascensum in Deum per inflammata desideria, & descensum in seipsum cum humilitate & despectione propria, ut sic in utroque quotidie proficiat, ut diuina gratia profusus affluat, & affectus in laudem & gratiarum actionem accrescens, in se deficiat. Tunc enim quicquid rependere potest, quasi nihil sibi videbitur, respectu illius, quod rependere desiderat. Et in hoc desiderium vulnerabit cor eius sensibili dolore, qui dolor augetur & renouatur in exercitijs anhelosi amoris ad Deum. Et haec est tertia probationis sagitta. Vnde quandoque videbitur languenti, quod cor & sensus dilaniabuntur & disrumpentur, & tota natura desideriosis consurrectionis impulsibus mori & deperire debeat, efficacia amoris impatientis agitata. Dum igitur impatiens amator sic astu diuini amoris vulneratus & languidus ardore continuo per impatientiam deoquitur & detorretur, flamma desiderij & affectionis in dies accrescente, quandam intolerabilem cordis angustiam incurrit, velut si parturiens pariendi facultate priuetur. Quo fit, ut dum

Sagitta di-
uinae pro-
bationis
tertia.

intuitu vicatio, nunc vultus cordis, nunc vultum amati contempla-
ri non desinit, siccitate crescente (quæ lima caloris est) simul crescat
& ardor impatientiæ, & dolor angustia. Et hæc probantur occulti fi-
lij Dei. Nam aucto languore, tandem id agitur, vt quemadmodum
arbor in arido, sic ipse in nimio æstu totus deficiat & arefcatur, ac mat-
tyr amoris effectus cor, oraliter moriens, purgatorij nefcius, amo-
ris igne purgatus, ad patriam supernam euolet. Veruntamen licet
huiusmodi secure moriatur, quem nimius languor amoris viuere
non permittit, arbor tamen, dum fructus ex se speratur vberior, non
est aliquatenus euellenda. Hinc licet omnes patientes amoris impa-
tientiam sub hoc exercitio languere necesse est, nequaquam tamen
omnes moriuntur, discretionis regimine gubernati. Et ideo tales
fortes sint in expectando dilectum, prudentes aduersus diabolicas
invidias, visiones scilicet, & immisiones, nec stolidam facilitate mo-
ri eligant, sed semper Dei laudes, sibi que nouas virtutes, patienter
uiuendo, procurent, ac rationis moderamine quantum value-
rint se compescerent, & tempus à Deo præfixum expectantes, viam
amoris regiam, quaqua versum duxerit, per amara, dulcia, læta, vel
tristia, ac similes amoris impetuosi turbines libera fronte gradiantur.
Tandem enim tempore constituto, contemplationis alas reci-
pient, & volatu celerrimo, Dei visuri arcana, calorum abdita pene-
trabunt.

*De consurrectione vitæ speculatiuæ, & spiritualis, secundum viros
animæ superiores, id est, secundum mediam partem
hominis. Cap. XIII.*

EXpediri de consurrectione spiritualis vitæ, quantum ad partem
hominis inferiorem, iam prosequamur eandem, prout in supe-
rioribus animæ viribus feliciter actitur. Quam vtique fidelis
anima promeruit in eo, quod de cunctis suis desolationibus per mor-
tificationem propriæ voluntatis, interni gaudij sibi libamentum con-
fecit, & in Dei manibus cum illo se offerens, de eo, quod ad honorem
suum pati sibi concesserit, iucundatur. Hoc enim, ni fallor, si sic per-
fecerit, nunquam tam intimo gaudio refectus fuit, quia nil puto dul-
cius amatori, quam vt se sentiat omnino sub dilecti sui voluntate re-
ductum, si tamen per omnes prædictos gradus prius ascenderit, quam-
uis non omnibus modis prædictorum exercitiorum usus sit. Non

Aaaaa 3 enim

enim omnes necessarios esse dicimus, sed tamen fundamenta virtutum, quae sunt humilis obedientia in agendo, & mortificatae voluntatis patientia in sustinendo, omnino esse necessaria confirmamus. Quia cum quicquid amor dare voluerit, vel auferre, in hoc pacem & complacentiam inuenit, & se perfecte renuntians, in Deum per amorem, ad prosequendum diuinum beneplacitum, secundum sui totalitatem transfuderit, in hoc eius spiritus immobilis, & liber perseverat, eò quòd in aduersitatibus sine retractione voluntatis ambulat, & habilis effectus cum Deo immediatam vnionem experiri meretur. Propter omnimodam enim voluntatis vnionem Deum in se sentit secundum plenitudinem gratiarum & donorum, quasi viuendam sanitatem essentiae suae, & omnium operum suorum. Et ex inde tandem sequitur vigorosa quaedam consurrectio, partem hominis superiorem, scilicet supremas animae vires, illuminans, ad perfectionem deducens, ampliori gratia & dignitate ditans, ipsiusque Dei maiorem similitudinem imprimens, ita quòd in ea Deus fulgentiori claritate coruscans, opulentas influentias donorum suorum ingerit, spiritum nostrum stabilienti, clarificantium, & locupletantium. Sed hac influentia diuina exigit effluxum, & cum omnibus infusis diuitijs in suam originem petit refluxum, omnia collata reperens cum virtute, & amplius exigens, quam vlla soluere posset creatura. Et in hac consurrectione Deus occurrens, multa mirabilia reuelat: nec mirum, quia gradus eius, & habitudo sublimior est & Deo similior, quam prioris, eò quòd supremas vires animae insignius ad actualitatis suae perfectionem deducuntur.

Vnio immediata voluntatis dicitur hic, qua voluntas plenissime ita solida Deo adheret, ut nullum eius donum amet, sed siue concedatur, siue auferatur, nihil omnino curat: eiusque beneplacita voluntate contenta.

Fons trium riuulorum.

Riuus operationis diuinae in memoriam.

Hanc igitur consurrectionem, quae in plenitudine diuinae gratiae peragitur, cooperante propria indultia & argumentositate, simile possumus fronti tribus riuulis diffluenti. Est autem fons iste plenitudo gratiae in vnitate spiritus infusione diuina saturientis. Quia gratia fontaliter in vnitate spiritus nostri se tenens essentialiter immanedo, tribus riuulis operationis diuinae deriuatur in tres intellectuales animae vires, velut in tres alueolos actualiter se diffundendo. Primus ergo riuulus ab vnitate spiritus in ipsam vim memoratiuam diffuens, est quaedam mentalis, simpla & vniformis serenitas, nullis qualiumcunque formarum discretionibus variata, sed supra omnia sensibilia vel sensitua, phantastica, imaginaria, ac vniuersa praepedieta, memoriam eleuat, & in vnitate spiritus stabile reddit. Nam à summis ad ima aquarum more defluitans, vniuersos alueolos virium tam supremarum, quam infimarum pertrahit, & eos more marini refluxus ad sua recurrere originem,

nem; super omnem multipliciter & officiorum occupationes sustol-
lit, ac mentalem in homine simplicitatem creans, tribuit *vnitatem* Ephes. 4.
spiritus in vinculo pacis. Sic homo secundum intellectualem memo-
riam, velut in serenitatem ætheream eleuatur, & ab omnium forma-
rum incurfibus, & temporalium mutabilitatibus deputatur. Nam
per hoc simplex, serenum, & infusum sibi lumen inuenit se recolle-
ctum, stabilitum, penetratum, & anchoratum in vnitatem suæ mentis,
& in nouum spiritualis vitæ gradum eminentiorem prioribus consti-
tutum. Et hic vnitatem spiritus sui, veluti quandam propriam possi-
det mansionem. Ac vnitas ipsa per Dei dona simplicemque intentio-
nem ad illam excellentissimam inclinabitur vnitatem, in qua cum
omnibus Sanctis Pater & Filius nexu sancti Spiritus sunt vniti.

Secundus autem ritulus ab vnitatem spiritus in ipsam vim intelle-
ctiuam defluens, est quedam spiritualis claritas, influentia sua no-
strum intellectum, & rationem ad quatuor virtutum exercitia cogno-
scenda, & ad arcana sacræ Scripturæ discretionis acumine penetranda,
multiformiter illustrans, & reuelans in omnibus virtutibus lucu-
lentissimam veritatem. Vnde sicut sol materialis radijs suis vniuer-
sum perlustrat, clarificat, & fecundat mundum; sic diuina claritas,
quæ (prout hic sumitur) est quedam interna apparitio Dei, scilicet
intelligentia quedam ex Deo fluens, quæ nostram internitatem aper-
tam conseruat, & intellectum nostrum super omnem tumultum ima-
ginationum & cogitationum in puro quodam & nudo silentio su-
perexaltat. In quo noster intellectus attingit ipsum eloquium Dei,
quod est internum quoddam susurrum; faciens nos intelligentes.
Quo nimirum habiles efficiuntur, ad suscipiendam *omnem veritatem*, Ioan. 16.
quam nos Dei spiritus intrinsecus edocet. Et sic noster intellectus
ad eloquium Dei semper eleuatus permanet. Hæc, inquam, claritas
in superiori mente resplendens, effundit in omnes vires inferiores,
lucidos & splendentes radios, scilicet sapientiam, scientiam, clarum
intellectum, rationalem considerationem & discretionem in omni-
bus virtutibus, quibus in anima regnum Dei perornatur. Sed amor,
qui Deus est, sine mensura regnat in puritate spiritus nostri, veluti
carbonum ardentium flamma stridens, igneo amore incendens &
inflammas cor nostrum & voluntatem, sensus & affectum, & omnes
animæ vires in amorem modinescium, & impetuosum transferens,
prout postea clarius videbitur. Veruntamen efficacia claritatis hu-

Riuus ope-
rationis Dei
in intelle-
ctum.

Ioan. 16.

Claritas
Dei in in-
tellectu.

ius nequaquam nostræ facultati subiacet, licet nostris ingiter insit animabus; sed Deus secundum inuestigabile beneplacitum suæ voluntatis, eam pro loco & tempore pandit & abdit, dat & accipit, & ad nutum suum silere facit & loqui. Illustrati tamè lumine claritatis huius, reuelationibus, aut attractione superiori necessario non indigent, quoniam eorum vita, conuersatio, mansio, & omnis intrinseca habitudo, super sensualitatem existit in spiritu, vbi Deus ipsis vel alijs necessaria, quæ voluerit, reuelat. Hic igitur oculis suis intellectualibus iam clarificatis prouidè consideret, an in omnibus perfectam Christi similitudinem gerat, non solum secundum humanitatem, sed etiam secundum eius diuinitatem, quia *ad imaginem & similitudinem* Dei creati sumus. Deinde se ad intellectualem eleuet veritatem, scilicet, sublimem Dei naturam cum personalibus proprietatibus & attributis, quantum creatum lumen ostendere sufficit, considerans. Quia nõ decet tam immensæ bonitatis naturam insecunditate mortua sterilescere, sed in inuestigabilis excellentia virtutibus & operibus ditescere. Consideratur enim diuinitatis natura, vt immensæ quædam simplicitas, inscrutabilis profunditas, inaccessibilis altitudo, incomprehensibilis latitudo, æterna longitudo. Vt silens quædam & tranquilla caligo, vasta solitudo, requies æterna Sanctorum, commune fruibile suipius & omnium beatorum: & plura similia miranda considerari possunt in hoc infinito pelago deitatis. Porro, licet propter nostrorum sensuum rusticitatem, quibus & per quos loquimur, sensibiles similitudines proferimus, in veritate tamen bonum immensum & simplicissimum intellectualibus oculis aspicitur. Deinde consideret personarum proprietates, & attributa, Patrem scilicet omnipotentem esse potentiam & maiestatem, creatorem & conseruatorem, motorem, principium & finem causamque primariam omnium creatorum; Ac Filium eius vnigenitum in inuestigabilem esse sapientiam & veritatem omnium creaturarum, vitam & exemplar, artis paternæ regulam infallibilem, deitatis oculum abdita cuncta peruidentem, gloriæ paternæ splendorem, electos iuxta singulorum merita perlustrantem. Spiritum denique sanctum incomprehensibilem esse largitatem charitatis, misericordiã inestimabilis pietatis, pelagum inscrutabilis bonitatis, torrentem cælicolas omnes inebriantem indeficientis voluptatis, flammam igneam omnia in fauillam redigentem, deificæ vnitatis preparatorem, & introductorem ad gaudium æternæ felicitatis, nexum & complexum Patris

Genesi.

Consideran-
do quænam
in diuina
natura.

Consideran-
do quænam
personarum
proprietates.

Patris & Filij, omniumque Sanctorum in fruendo delitijs ac diuitijs deitatis, ac infinita similia. Denique licet incomprehensibilis plenitudo diuitiarum Dei nos in admirationem operum diuinorum sustolat, præcipue tamen largiflua communicatio diuinæ naturæ, stupore suæ effluentis super omnia redditæ onitos. Cùm scilicet cõtēplamur incomprehensibilem deitatis essentiam esse commune fruibile Dei & omnium beatorum, ac diuinæ personæ, se suis effluxibus & operibus communicare (in bonis gloriæ, gratiæ, vel naturæ, in supernaturalibus vel naturalibus) omnibus creaturis, rationalibus, irrationalibus, intellectualibus, materialibus, & immaterialibus, pro dignitate, captu & indigētia singularum. Et hinc ei nascitur admiratio quædam ineffabilis, ex qua sublimis oritur in diuina bonitate confidentia, quoddamque præcipuum internum spiritus gaudium, cunctas animæ potentias, & ipsam spiritus vnitatem penetrans & complectens. Ex quo nimirum denuo tertius riuulus oritur ab vnitatis spiritus in ipsam vim amatiuam defluens.

Riuus diuinæ operati-
onis in vim
amatiuam.

Hic autem riuulus est infusio quædam ignis spiritualis, voluntatem amore silentiæ tranquillo penetrans & accendens, ac magnificis diuitijs & delitijs inundare faciens. Nam gaudium prædictum sancti Spiritus & afflatio diuini amoris ex plenitudine fontis gratiæ riuum istum eliciunt voluntatem ignea qualitate succendentem, & in vnitatis fauillam omnia redigentem, omnes animæ vires opulentis muneribus ingenuitate præcipua perfundentem, ac amorem quendam, eò subtiliorem & laboris expertiorem, quo spiritualiorem in ipsa voluntate creantem. Calor autem huius ignei amoris tam vehemens est, quod totos nos per ardorem comburere & inflammare nititur. Qui cùm perfectè spiritum in vnitatis complectitur, tunc spiritus viuacitatem attingit, abyssales Dei diuitias spiritum degustare faciens, ita quod omnia interiora eius mirabili quædam oblectatione commouentur. Et exinde protinus anhelatio confurgit & consistit in amoris vnitatem. Nam spiritus amans diuinam amorem inuocat, vt in abyssum suæ infinitatis illum deuoret & consumat, vbi vniuersi spiritus in operibus suis deficiunt, & ipsi fruiioni cedunt. E contra verò diuinus amor in nobis permanens & nos in ipso, ac omnia bona opera nostra nobiscum operans sine voce, cum intellectuali impresione, clamore valido iugiter ingerit, dicens: Solute quod debetis, amate * amorē vos æternaliter amantem. Hac enim vox est excitatio vel agitatio quædam

Anhelatio
in amoris
vnitatem.

* Aliis a-
matorem.

Bbbbb

interna

interna in nostro spiritu, omni tonitruo materiali terribilior, cuius clarificatio calum nobis apperit, & lumen aeterna veritatis ostendit.

Amor sine
silio.

Et quia nunquam amor silet, quanto plus amamus, tanto ardentius amare concupiscimus, donec ardor amoris tam intemperatus efficitur, quod ipsum amoris exercitium inter nos & Deum vadat, & redeat, more fulguris coruscantis, & tamen comburi non possumus. Is igitur, cui riuuli praedicti infunduntur, spiritualis efficitur, & diuino lumine luminosus: quia gratia in vnitatem spiritus, veluti fons viuus scaturiens, per potentiarum riuulos effluens, suae fecunditatis efficaciam, virtutum operibus manifestat: sed refluxum omnium riuulorum ad originem suam locum expostulat. Nam Deus mare quoddam est infinitae magnitudinis, fluxum iugiter faciens & refluxum, ac electorum mentibus infundens aquas gratiae vel gloriae, iuxta dignitatem vel indigentiam singulorum, easque cum alueis suis vniuersis, vsque ad minimam guttam, etiam cum visura repetens & resorbens. Praecipue tamen exigit (vt dictum est) a nobis diligere iuxta magnificentiam suae dignitatis.

Deus cur
comparatur
mari.

Amor beatorum
qualis.

Quod quia nulla prorsus creatura perficere potest, omnis amans spiritus in hoc salutare mandatum deficit. Vnde fidelis amator solvere cupiens quod periturum, summis innixus viribus proprium modum excedit. Et in ipso excessu vagabundus diligit sine modo, totisque precordiis volens, sed nequens opus perficere virtutis infinitae, cum tamen finita sit virtus omnium creaturarum. Sed amor impatiens, nec de impossibilitate solatium accipiens, nec de difficultate remedium, licet sua deficientia labefactatus fuerit, vires tamen resumens ad praesumptum opus exequendum, toto spiritu renouatur, quatenus Deus iuxta suam exigentiam & secundum amoris desiderium diligatur. Huius denique rei gratia glorificati spiritus vniuersi iugiter in vnam amoris flammam conglobantur, vt exactum opus dilectionis, quod per se nullus adimplere sufficit, saltem in vnum flammeum amoris cuneum conglutinati, valeant aliquatenus consummare: quod tamen vniuersae creatura foret impossibile. Vnde amor vnum eligit ex duobus, aut opus praesumptum perficere, aut ardore superferendo liquefactus in sua deficientia prorsus annullari. Et licet neutrum assequi potest, in hoc tamen luminosa ratio mirifica voluptate iucundatur, quod dilectus suus tam diues & excellentissimae maiestatis est, vt omnem creaturam virtutem infinitum excedens, a nulla prorsus, quam a sua propria dilectione, pro magnitudine suae dignitatis ametur.

Electio a
moris.

De con-

*De resurrectione vite speculariæ & spiritualis, secundum partem
hominis supremam, id est, secundum unitatem essentie
ipsius anime. Cap. XV.*

Nunc ordine debito prosequamur exercitium spiritualis confur-
rectionis, quod celebratur in unitate nostræ essentie. Ad cuius
evidentiam primò sciendum est, quod unitas spiritus nostri ad
unionem spiritus diuini dupliciter se habet. Primò essentialiter: & sic
immediate naturaliter absq; aliquo vicissitudinis interstitio Deo con-
iungitur: quia spiritus noster iuxta summum & intimum apicè essen-
tie suæ, sui exemplaris, ad cuius imaginè creatus est, impressione, lumi-
nisq; diuini vultus signatione semper suscipit, in habitatio Dei pepe-
tua naturaliter factus, & ab æterna immanatione diuinæ essentie posses-
sus, continuoq; semper diuinæ conseruationis affluxu frequentatus.
Hæc autè unitas spiritus nostri cum Deo, nequaquã sua virtute substi-
stit, sed in Deo manens, ex Deo manat, & à Deo dependens, in Deum
velut in suam æternam causam reflectitur, nec à Deo vnquam in æter-
num separabitur. Nam ipsa naturaliter inest nobis ad eò, vt si creatura
aliqua à Deo, id est, à sua causa eorum separaretur, protinus in nihilũ
decideret. Veruntamen hæc unitio, qua sic Deo naturaliter spiritus no-
ster est vnitus, nec sanctos nos efficit, nec beatos; quia ab omnibus æ-
qualitate naturali veraciter habetur, licet non æqualiter ab omnibus
experitur. Est tamen quodammodo causa primaria, & quasi materia-
le quoddam omnis sanctitatis, & principium beatitudinis.

Secundò verò unitas nostri spiritus, præter hanc essentialem habi-
tudinem, etiam potentialiter & operatiue se habet in semetipso, velut
in proprio personali esse subsistens. Et hic est fons & origo supremarum
potentialium ipsius anime, principium & finis omnis creati ope-
ris, tam naturalis quam supernaturalis creatura. Veruntamen unitas, in
quantum unitas est, non operatur, sed omnes anime vires, quouis mo-
do operentur, virtutem & potestatem ab origine sua recipiunt, id est,
ab ipsa unitate spiritus, in essentia sua personali originaliter subsisten-
tis. Vnde in hac unitate omnino necessarium est, vt vel Deo similis
spiritus per gratiam & virtutes, aut dissimilis per mortale peccatum ef-
ficiatur; quia sicut *ad imaginem*, ita & *ad similitudinẽ* Dei, id est, ad gra-
tia informatione creati sumus. Quæ, scilicet gratia lumen est dei forme
nos illuminans, & nostro Creatori nos assimilans, sine quo Deo super-

Unitas spi-
ritus creati
cum unita-
te spiritus
diuini quo-
modo se
habeat.

Unitio spi-
ritus nostri
cum Deo
quid effi-
ciat.

naturaliter vniri non possumus, quamvis imaginis impressionem, & naturalem cum Deo vnitatem amittere non valeamus. Ob quam causam Deus in nobis aptitudinem congruam susceptioni suae gratiae reperiens, instinctu suae liberalissimae bonitatis sibi nos vnificare, ac per

Hae beatitudo in patria tantum permittitur, qui hoc eius semen, quod est gratia, in fine vsq; conseruauerint, secundum qua diuina fruuntur essentia, quae Spiritus sancto naturaliter est communicata.

gratiam assimilare non differt. Quo spiritus noster in amorem fructuum immersio felicissimo se profundat, & ex hoc ipso fit quaedam vnio supernaturalis & mediata, in qua initium ac semen nostrae beatitudinis consistit. Ex ea namque ea, quae Deo sunt naturalia, nobis autem supernaturalia, dona fluunt, vt tamen in ea spiritus amans super omnia naturalia requiescat. Nec est hic aliud nisi Deus, & spiritus Deo coniunctus & vnitus. In qua scilicet vnitate nos a Spiritu sancto suscipimur, & versa vice nos cum Spiritu sancto Patre & Filium suscipimus, totamque deitatis naturam. Caeterum, inclinatio fructiva spiritus in Deum super omnia requiem quarens, omne id in essentiali sua existentia supernaturaliter consequitur, & possidet, quicquid illic Spiritus sanctus naturaliter est adeptus. Porro in hoc omnis nostra beatitudo consistit, quod per gratiae vel gloriae medium, in essentiali vnitate suae, requiem spiritus introducat: quia gratia via est, per quam venire, necesse est in nudam ac simplicem essentiae suae vnitatem, cui Deus cum omnibus suis diuitijs liberaliter se infundit. Peccatum enim, quod solum est obex gratiae, tantum chaos tenebrarum & dissimilitudinis, inter potentias & essentiam (quam Deus inhabitat) interponit, quod essentiae suae spiritus noster vniri nequeat: quae sibi vniue-

Profundatio spiritus creati in Deo quae

patria esset, & proprium quietis cubiculum, nisi per peccatum in regionem dissimilitudinis exularet. Ex quibus patet, quod Deus quibusdam medijs, gratia, scilicet, & donis multifarijs ad nos venit, cui versa virtutibus & exercitijs medianibus occurrimus. Et sic actualis iste concursus diuinis donis, nostrisq; virtutibus cum operatione spiritus medianibus, perficitur, & felici consurrectione spiritus noster in vnitate suae essentiae Deo cunitur. De qua scilicet vnione sermo praesens loquitur. Haec enim consurrectio caeteris nobilior, altiori gradu nos ad summum exercitiu spiritus nostri sub creato lumine prouehit, magis ac magis semper in Deum profundat. Quae profundatio similis est fluminibus sine cessatione & reuersione in mare defluentibus, quia mare est eorum proprius locus. Sic miro modo cum vnitate supernaturali solum Deum possidemus, tunc essentialis nostra demeritio virtutes omnes, & omne exercitium amoris supergreditur.

Ad ma-

Ad maiorem autem euidenciam sciendum, quod modus istius con-
 surrectionis excitatur & mouetur quodam intimo Christi tactu, spi-
 ritus nostri penetralia diuinitatis suae claritate tangentis. De quo non
 incongrue sponsa gloriabatur in Canticis, dicens: *Dilectus meus misit*
manum suam per foramen, & uenter meus intremuit ad tactum eius: Hunc
 autem tactum spiritus noster quasi non cooperans patitur, quia supre-
 mae potentiae hoc tactu in unitate spiritus adunantur, solo Deo illico-
 perante.

Nam illic omnis operatio & ratio fatiscit, quia ratio diuino lumi-
 ne & magis virtus amatiua sentit hunc tactum, ratione tamen mo-
 dum eius comprehendere non valente. Quid autem sit iste tactus in
 sua origine, vel quid sit amor in seipso, inuestigare non possumus, sed
 eius negotium duplex est, quia spiritum amantem extrahit, & intra-
 hit: Extrahit enim nos per effluxum quendam Spiritus sancti, quo
 nos diuites efficit, implens omnia uida uasa nostra donis suis omni-
 farijs, & exigens ut cum donis suis, secundum eius beneplacitum ui-
 uere studeamus. Cum ergo tactus iste, rationem nostram illuminans,
 semper est uiuidum quoddam medium inter nos, & Deum, sine inter-
 missione a nobis exigit vitam uirtuosam, per quam Deus in nobis ui-
 uat, & nos in Deo, & sic Deo supra nostram naturam assimilamur, &
 in gratia simul, & gloria semper similes perseueremus. Hinc ex eius
 tactu funditus interius commouemur, ac quoddam insatiabile desi-
 derium, & auidum appetitum suscipimus, quem nec ratio, nec ulla
 creatura compercere, vel sedare potest. Nimirum, quia in sua effluen-
 tia, uult totus noster esse, docetque nos uiuere in opulencia uirtu-
 tum. Nam effluens Dei tactus, nos facit in spiritu uiuentes, ac gratia
 sua nos replet, rationem nostram illuminans, ueritatis agnitionem, &
 uirtutum discretionem nobis infundens, ac in Dei praesentia nos stan-
 tes tam potenti uirtute seruans, quod omnem saporem, sensu-
 onem, ac uisum, effluentia Dei dona sine defecione spiritus sustine-
 re ualeamus. Vnde ex hoc tactu effluunt omnes riuuli diuinae boni-
 tatis, quam quod magis gustamus, eod amplius degustare desideramus,
 & inde profundius eius tactu inhiamus, ac per hoc magis suae dulce-
 dinis flumina nos perfluunt, & inebriant: quo fit, quod semper clarius
 agnoscimus diuinam dulcedinem esse incomprehensibilem, & infi-
 nitam. Vnde omnes animae vires expanduntur latissime, praecipue ta-
 men appetitus voracis desiderij, quia sentimus enim cum uniuersis suis

Modus hu-
 ius confor-
 mationis ut
 excitetur.
 Cantic. 5.

Tactus ex-
 trahens
 quid.

712
 diuitijs velle nostrū esse, nobiscumq; manere feliciter. Et licet *actus*
 diuinus intrahens, exercitium in nobis exciret multo nobilius, ut
 pote ad diuinam vñionem, & nostri absorptionem nos inuitans, sicut
 videbitur: vtile tamen, & necessarium est, vt fidelis amator, hanc vi-
 cissitudinem semper exerceat, quia in his duobus est vita aeterna.
 Quapropter in huiusmodi contemplationis celsitudine subleuati, de-
 bent ab omnibus absoluti, nunc quidem interius fruitioni vacantes
 ingredi, & diuino spiritui tam in vacatione, quàm in exteriori opera-
 tione, vbilibet indefinēter vnità colligari. Nam sicut oculos corpora-
 les, cum subito ad videndum extrinseca aperimus, sine mora nobis
 perceptibili denuo recludimus: sic in Deo mortui, ex Deo viui, cum
 Deo semper permanentes, opportuno tempore debemus nos aperi-
 re moralibus virtutibus sensibiliter operantes, *ne gratiam Dei in va-*
cuum recipiamus, ac iterum introrsum per amorem gradientes, Deo
 dulciter adhaerere, ei que sine separatione, & turbatione permanentes
 vniri.

Tactus in-
 trahens
 quis.
 Cantic. 2.
 Secundò verò tactus iste nos intrahit. Qui scilicet intrahens Dei
 tactus nos ex nobis assumit, exigens nos liquefieri, & in vnitatem
 suam ad nihilam redigi, ac non funditus in aeternam felicitatem,
 hoc est, in amorem illum (vt ita dicam) vnissimum, ac simplicissi-
 mum, qui Patrem, & Filium in vna fruitione complectitur, & sic in
 amplo diuini amoris amplexu baptizamur, vbi deficiunt omnes vi-
 res nostra, sedemusque *sub umbra dilecti, & fructus*, id est, Filius eius
dulcis gutturi nostro, quem Pater in nostro gignit spiritu: qui tam in-
 finitè dulcis est gutturi nostro, quòd eum nec glutire, nec in nos muta-
 re valemus, sed ipse nos in se penitus absorbet, & mutat. Tribuit e-
 nim nobis plenitudinem gratiarum, & donorum, docens nos exerci-
 tia perfecti amoris, hoc est, mutuam contemplationem inter nos &
 Deum, mutuam gustationem, & agnitionem, placere & complacere,
 in amorem liqueere & defluere, quia Deus nobis seipsum dat, licet eum
 capere non possumus, & ab eo nobis effluunt multifaria dona in ani-
 ma & corpore, in corde & sensibus, & in omnibus viribus gustamus,
 & sentimus consolationes, & suauitates amoris sui. Licet autem eius
 consolationes, & dona supereffluant, semper tamen famelici, & siti-
 bundi permanemus, auidè ad donum illud anhelantes, quod est ipse
 amor super omnia dona sine mensura: quia solus amor est, quo se-
 ipsum

ipsum spiritus Dei largitur donat, & communicat. Sic ergo nos intrahit, & exigit nos unum amorem cum eo fieri, sicut rogabat Patrem Ioan. 17. Christus, sepius id ipsum repetens. Cui nimirum intractivo tactui, si quis curam vigilem adhibuerit, vicinusque permanserit, in mortali peccati precipitium labi non poterit. Caterum, intractus iste praesertim nos incitat ad amandum dilectum secundum suam dignitatem. Cuius dignitas, cum sit infinita, nos amans infinite sicut infinitus est, ideo à spiritu nostro amorem exigit sine mensura. Cuius amor adeo vehemens, & intrahens, ac consumens est, quod importunitate sua concitò labimur in amorem modinescium. Quia nec scimus, nec valemus quomodo divino amori respondere debeamus, cum tam avidus sit & avarus, quod omnia, quae contingit, deo rat & consumit in suam proprietatem. Vnde etiam amorem nostrum, huic amori cedere necesse est, quia nos ab eo defendere non valemus. Quapropter amor noster efficitur simplex, & nudus, & otiosus sine operatione: Et amor Dei ignis consumens est, nos deorans, & absorbens in unione cum Deo. Ac unitas divinae naturae per suam nobilem amorositatem omnia in se trahens amoris opera illa, quicquid ibidem in alteritate manifestatur, incendio sui amoris consumit, quia ipsa est amoris abyssus, omne amans efficaciter intrahens, & ineffabiliter se et ipsa transformans. Haec autem intractio, quidam internus contactus est, ex ipsa superessentiali unitate Dei procedens, in quo amantes in uno amore cum Deo, quodam amplexu penitus efficiuntur liquefacti. Nimirum, quia super hunc tactum in ipsa silenti, tranquillaque spiritus essentia, quaedam incomprehensibilis charitas emicat. Et haec est excellentissima Trinitas deitatis, ex cuius divinitarum profuio tactus iste causatur. Illic enim inuicem Deus in spiritu, & spiritus in Deo regnant. Vnde tactus iste trahit, & incitat spiritum nostrum ad profundissimum, & sublimissimum exercitium spirituale, quod sub creato lumine poterit exerceri. Eleuat enim se spiritus efficacia virtutis amativa negotium omnis operationis supergrediens in unitatem mentis, in qua tactus huius vivida vena scaturizat: eò quod tactus iste ad cognoscendum in sua claritate Deum, intellectum incitat, & ad immediatè eo fruendum affectum amativa virtutis trahit, & inuitat, quod super omnia Deum amans spiritus naturaliter, & supernaturaliter concupiscit. Per illuminatam ergo rationem intimo intuitu se spiritus exaltat, penetrat in sua, ubi tactus iste scaturit, ar-

Amor modinescius.

Amor ut ignis sit consumens.

Elevatio spiritus.

dentissimo prospectu contemplans. Ratio tamen licet summis innixa viribus, & omnis intellectus in huius prospectus scrutinio deficit, & caligat: quia superemicans diuina claritas, hunc tactum causans, occursum suum omnem visum, & intellectum, creato lumine tantum illustratum, obtenebrat: utpote in finiti splendoris existens, & aciei omnis creati luminis reuerberatiui.

Amor ut
frustratus
desiderio
non fati-
scat.

Quamuis autem ratio, & intellectus praeforibus gradum listere compellantur, virtus tamen amatiua, quae sicut intellectus ad notitiam, sic ad gustum ipsa diuinitus intitatur, amoris impetum profusa qui cupiens, progredi non fatiscit. Nam ipsa solius fruitionis (quae gustui magis debetur, quam visui) delectatur amplexu. Et ratio in se caeca, cum sit in meridie, ut in tenebris aequè palpans, intellectu nimia claritate caligante, & in ianuis excubante, ipsa cum Moyse caliginem intrare festinat: quia quandam esuriam spirituale in insatiabilem incurrit comprehendendi bonum increatum, cum tamen ipsa creata sit: veluti si totum pelagus minimus maris pisciculus deglutire conaretur. Et sic in ea stabilitur esuries aeterna, cum nequaquam capere valet bonum increatum. Sed quoniam amoris fiducia hoc proprium habet, ut secundo ac tertio frustrata, à suo conamine non fatiscat, post defectum semper vires reparans, ad id ipsum perficiendum esuriam renouat & adauget. Ex vena tamen tactus huius mellifluis deliciarum riuuli fluitant, quia tactus iste, iuxta desiderium omnifarium spiritus, secum adfert delectamenta saporis.

Amori
proprium
quid.

Tactus
amoris quid
adferat.

Et haec est amoris vita supra rationem, & intellectum, iuxta summam operationis eius negotium, quia ratio in hoc gradu, nec conferre, nec auferre quid valet amori, cum amor noster diuino sit tactus amore. Vnde nullum hic sentio post futurum vnquam à diuina charitate diuortium, quia talis amator omnibus inordinatis affectionibus, consolationibus, intentionibus, &c. funditus moritur, ut vere dicere possit: *Mihi mundus crucifixus est*, tam efficacem auersionem ab omnibus deordinationibus in se per sentit. Porro *conflictus* hic agitur diuini, nostrique amoris. Nam Deo per Spiritum sanctum in nostrum spiritum se proclinante, ac dulcissimè tangente, spiritus noster e contra diuino tactu permotus, ac amatiua virtute subiectus, in Deum se imprimi & inclinat, & sic vicario tactu Deus retangitur, ex quo *conflictus* amoris oritur, ita quod penetratiuis amoris iaculis verque vulneratur, & mutuis se fulminibus interlucent, altero alteri suam

Galat. 6.
Conflictus
diuini no-
strique a-
moris.

fuiam faciem ostendente, quod iugi esurie facit eos in alterutrum inhiare. Alter alterum totum esurit, & desiderat, & alter alteri se totum offert, & hoc facit amantes, liquefacto amoris incendio fluitare. Porro Delictus, & eius largitio, nostraque relargitio, stabili soliditate confirmant amorem, & vnus simplex amor sunt, & spiritus amans, quasi totus amor efficitur. Vnde in hoc exercitio nec error intercudit, nec deceptio, sed ad *optimam partem* pettinens, in hac vita gratia praxustatur, & in patria feliciter adimpletur.

De quatuor gradibus, vel differentijs amoris. Cap. XVI.

Dicit Beatus Dionysius in libro de diuinis nominibus, quod vnus Caput 4.
est amor increatus, qui sua super substantiali, & vniuersali appetitione ingignit amorem creatum omnibus rebus, qui scilicet amor creatus, est quedam inclinatio, & coordinatio amanti ad bonum amatum. Est enim amor connexio, & vinculum, quo rerum Amor quid sit.
vniuersitas ineffabili amicitia, insolubilique vnione copulatur. Rationalis autem creatura, mortalitate naturæ suppressa, ac vitijs inuoluta, multis gradibus est à summo, & purissimo amore, qui Deus est, sua labilitate digressa. Ad quem vtique gressibus amoris redire nos oportet: quia Deum amare, est ad ipsum accedere, & intrare, ac gustare, Amare Deum quid.
quoniam suavis est Dominus. Et quantum quis amat, tantum amoris gressibus dilecto Deo propinquat: quantum autem amare negligit, tantum ingredi recusat, quia verus amor inter se, & dilectum, nullum medium patitur: nec quiescit donec ad ipsum, & in ipsam perueniat: & tam prope, quod si fieri posset, hoc idem ipsum sit quod ipse. Vnde Augustinus in Epistola ad Macedonem dicit, quod tantò nobis melius est, quantò magis ad illum imus: quò nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tantò habebimus presentiorè, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorè. Vnde solus amor quoddam viuendum est, & diuinum instrumentum, quo nos ducit, inuitat, allicit, trahit, & cogit ad suam agnitionem, timorem, affectionem, subiectionem, aspirationem, gratificationem, assimilationem, amorem, vnionem, & desideratissimam fruitionem. Hic igitur amor, quo totalis cursus viatoris perficitur, licet multis gradibus distingui posset, ad exercitium tamen quotidianum lucidius cognoscendum, secundum exigentiam, & aptitudinem amoris vniuscuiusque viatoris, quatuor gradibus distinguere statui. Amor vt instrumentum sit Dei.

Amor communis quis.

Primus autem gradus amoris potissimè negotium suum, & exercitium extra nos exequitur, & dici potest amor communis, qui Deum quidem timet & amat super omnia, obediens Deo suisque Prelatis, & Ecclesie sanctae in fide vera & virtutibus, & bonis operibus. Et amor quidem otiosi nescit, sed, secundum Gregorium, operatur magna, si est: si autem operari renuit, amor non est. Effectum tamen suum

Amoris huius effectus.

amor iste praesertim in exercitijs exterioribus ostendit, & virtutibus moralibus. Quia nimirum effluxus quidam est fraternae charitatis ad proximum, cum operibus misericordiae, & pietatis, in suis necessitatibus spiritualibus, & corporalibus, ad seipsum in omnibus corporalibus exercitijs, in resistendis tentationibus, & naturalibus passionibus, in poenitentiae & abstinentiae operibus. Et in hoc amore, sicut suam practicam consequitur, sic & pro suo modulo quandoque

Boni natura quae.

dulcissimam internam oblectationem. Nam, secundum Origenem super Cantica, de natura boni operis est, quod ad ipsius multiplicationem multiplicatur & delectatio: & quasi quoddam spirituale condimentum est sibi hilaritas bene operantis. Unde, secundum Albertum, Bonum operatum facit dulcedinem in gustu, & gaudium in corde. Sic in omnibus amoris exercitijs suis fidelis amicus oblectationem quandam consequitur, & fruitionem. Huic autem amoris si profectum adiacere velis, exteriora opera sine sollicitudine, & multiplicitate cordis exercere studeas, mentem semper ad Deum erigens. Quia licet approbatur labor, dicente Psalm. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, &c. reprobarur tamen sollicitudo cordis, & distractio,

Psalm. 127.

dicente Domino: *Martha, Martha, sollicita es, & turbata erga plurima, Maria optimam partem elegit*. Cuius ratio est, quia per sollicitudines, perplexitates, & multiplicitates amoris affectus debilitatur, & diversis tentationibus exponitur. Hinc est, quod facile naturae suae per sensualitates, & oblectationes obsequens, statim in amore refrigerat, in spirituali sapore desipit, in virtutibus decrescit, ac in detestabilem tepiditatem, & ingratitude desluit. Qui vero Hiebuzeos istos legitime detinuerit, cito sensualitatis, & naturae victoriam obtinebit, ac in omnem amoris perfectionem protinus accrescet.

Luc. 10.

Amoris ista cura vnde proveniat.

2. Reg. 5.

Amor sensuus quis.

Secundus gradus amoris, negotium suum & exercitium, intra nostram habitationem exequitur. Hic enim amor est gratia Dei, & nostra bona voluntas, in qua possidemus spirituales diuitias, & plenitudi-

ordinem omnium virtutum, quibus Deus in medio nostri vivit, & habitat cum gratia, & donis suis, ubi semper et secrete possumus, & proficere. Et hic quidem amor sensibilis, vel sensitivus dicitur, quia negotium suum principaliter exequitur in inferioribus animæ virtutibus, quibus scilicet anima corpori connititur. Unde etiam quàm maxime sensibili devotione, & oblectatione confouetur, & inflammatur. Et hic quidem amor respicit omnem appetitum, & gustum inordinatum, ac omnia, quæ deordinant divini amoris exercitium, hominem ponens in quandam humilem suipsius abiectionem, & despicentiam. Facitque iugiter clamare ad Deum desideriosis aspirationibus: *Adiuva me Domine ut amem te.* Quantò verò plus clamat, & desiderat, tantò plus amat: & quantò plus amare appetit, tantò plus sapit. Nam sapor, & appetitus aliquando cor & sensus, corpus & animam perfluunt & inebriant. *Hic tamen queritur inter amicos, ut fidelis quis inveniatur.* Nam qui verè amat, non est mercenarius, nec querit lucrum, vel premium; non sensationem spiritualem, vel delicias; sed amat, & desiderat amorem, id est, Deum propter seipsum. Desiderat autem eius dona, in quantum nos ad amorem divinum incitant, alliciunt, & inducunt. Et quantò plura dona recipit, tantò pauperior est: quia semper dona retributionem exigunt, & ad relargitionem inflammant. Hinc etiam cor amans semper vacuum, avidum, & insatiabile permanet, & accipere, & reddere huius amoris exercitium stabiliunt. *Accipere quidem, quia fluvius donorum abundantia sua totam vitam sensualem superinfluit, ita quòd voluptates animæ sensus sustinere non possunt, sed vita sensualis ebria est, discretionem non habens.* Quantò verò plus inebriatur, tantò magis intellectualis ratio divina sapientia, & claritate perfunditur. Cuius nimirum inebriativa virtute cor amans omnem contemnit, & abiicit propriam voluntatem, in prosperis, & aduersis, in vita vel in morte. Spiritus autem divinus, tam largiflua bonitate se communicans per amorem, nihil aliud à nobis exigit, quàm amorem purum. Sed eius effluentia dona à nobis exigunt virtutes, quantum ad interiora; & opera bona, quantum ad exteriora, secundum omne divinum beneplacitum. Et in utroque obedire debemus, scilicet aeterno eius amoris, per amorem respondendo, & eius liberalibus donis, in virtutibus & bonis operibus vicem rependendo: ut sic liberè quæ præcipit perficiamus, & sine recalcitratione quicquid nos sustinere permiserit suscipiamus. *Exercitium*

Ccccc 2

citium

1. Cor. 4.
Amator fin
delis ut pro
beur.

Accipere
amorem
quid.

Spiritus Dei
quid à no
bis exigit.

Amor viii
avarus.

citium huius amoris liberum est, & sine verecundia, quoniam eius natura est auaritia, & liberalitas, quia semper vult exigere, & offerre; dare, & accipere: ibique semper eltrahere, & sequi; tangere, & tangi. Cum autem amor avarus est, ab anima totum exigit, & desiderat quod est, & quod potest. Anima verò diues est, & larga, avido amorì totum impendere volens, quod exigit, & desiderat. Unde cum sentit tactum amoris extractiui, quo scilicet hominem trahit ad similitudinem suam, ibi tribuit conflictum desideriorum, & affectuum, contra omnes exteriores deordinationes, & dissimilitudines, donec per diuinam gratiam, & amorem peccatis renuntiantes, Deo se conformes efficiunt in virtutibus, & virtuosis actibus, in intentionibus, & affectionibus; diuinum quærentes honorem, & propriam salutem. Cum verò tactum amoris intractiui sentit, quo nos incitat ad propriam mortificationem, vt soli Deo viuamus, ibi donat spiritualem conflictum, quo passiones naturales, & omnes aduersitates, & tribulationes tranquilla patientia deuincamus, omnique proprietati moriamur. Nam anima sic amore prauenta; totam se impendere desiderat. Amor autem quicquid acceperit deuorat, consumit, & exurit, quia *Deus ignis consumens est*; non naturam, sed omnem dissimilitudinem. Porro cum amor iste tuam abyssalem largitatem repræsentat, ostendens animæ totum quod est, & infinita liberalitate communicare deliberat, tunc anima tam dulciter præuenta gubsa est, & auida lacè hians, & totum quod ostensum est, deuorare cupiens. Cum enim percipit Deum velle totaliter esse nostrum, tunc oritur ei desiderium tam auidum, profundum, & vacuum; quòd si Deus daret omnia præter se, penitus sufficere non posset; & quanto plus auidè comprehendere nititur, & deuorare, tanto melius sentit se à Dei diuitijs incomprehensibilibus defraudari. Et hoc est exercitium amoris in nostra habitatione, quod tamen modum, & rationem non excedit.

Deut. 4.
Hebr. 12.

Tertius verò gradus amoris negotium suum exequitur inter Deum, & nos. Est enim quoddam sanctum, ac viuidum ascendens desiderium ad Deum, quod per motum Spiritus sancti, ac beneuolentiam, & amorè cordis nostri in diuinum honorem, laudem, gratiarum actionem, feruidam aspirationem, ignitum amorem, & omnifarium amoris exercitium, continuè renouatur. Nam inter nos, & Deum viuida, & actualis dilectio semper mediare debet, quæ liberam Dei in-

ctio-

& ionem nostramq; liberam adiunctionem unitim transformabit. Et
 hæc dilectio nullatenus esse potest otiosa, quia exercetur inter Deum
 viuum, & spiritum nostrum viuum. Vnde quantum actualis dilectio-
 nis senserimus in nobis, tantum nos in gratia viuimus. Quantum autē
 essentialis amoris nostram actualē dilectionē complectentis senseri-
 mus, tantum à nobis ipsi in amorem dimergimur, tantumq; felices ex-
 istimus. Et hic quidem amor practicus & fructiuus quadam æqualita-
 te militant. Nam in inferioribus gradibus praxis: præstantior est, in
 superiori verò fruitio præualet. Sed in exercitio præsentī cum se quis
 cum totalitate sui viuimq; suarum erigens ad Deum dirigit, cum vi-
 uido quodā amore practico, tunc amore suum in sua profunditate, vn-
 de originatur, & in sua fructione sentit velut abyssum quodā sine ter-
 mino. Si ergo per amorē practicum in amorem fructiuum ingredi volu-
 erit, tunc omnes alie vires animæ perfluente veritati, quæ Deus est,
 cedere compelluntur, ac in Deo sibi ipsi mori funditus per effluxionē
 sui ipsius, ac immersionem in illā simplicissimā diuinā essentiam, sicut
 in proprium centrum. Hæc autē felicissima mors contingit in spiritu,
 cum tres vires superiores, se in suis singulis exercitijs, operatione sua
 vigorosissima funditus extenuant, annihilant, & in propriā deficienti-
 am perducunt, vt in ipsam latissimam diuinitatem absorptæ felici-
 ter effluant. Sic per exercitium amoris efficacissimum vires in vni-
 tatem spiritus nostri amore deficientes influunt, vbi amorem nostrum
 purum, & quietum inueniunt, & se cum eodem amore Deo veraciter
 vnitas in amore, quia supra nudam cogitationem nostram nihil est,
 nisi amor æternus, qui Deus est. Vnde nos oportet cogitationem nostrā
 per amorem perducere in sui deficientiam, & expirationem, si cum
 Deo nos in vnitatem amoris inuenire volumus: & hoc est nobis mori,
 vt Deo viuamus. Nam vbi Deo per amorem perfectē inhaeremus, ibi
 morimur, & expiramus vbi verò spiritu suo nos transformat, ibi Deo
 viuimus, & fruimur. Porrò, quod in nobis est mori, & viuere, hoc est,
 agere, & agi. Agimus enim ad nostram expirationem, agimur verò
 ad nostram transformationem, vbi feliciter, & continū renascimur
 electi filij Dei. Et hic gradus merito vocatur amor modinescius, quia
 sua vehementia caret omni modo, quo spiritus noster seipsum exer-
 cendo, omni hora extenuat, & annihilat, quia vires eius in amo-
 re modipriuio penitus deficiunt, & se euacuant in quoddam otio-
 tum esse. Rursumque tactum diuinum spiritus noster persentens,
 Cccc: 3, operan-

Amor pra-
cticus, &
fructiuus.

Viuerē, &
mori no-
strum quid.

Amor mo-
dinescius.

operando sese denud extenuat, & annihilat. Et hæc vicissitudo frequenter impetu quodam spiritus, à nobis nos excutias, nec tamè in Deo persistere praxialens.

Quartus denique gradus amoris dextra dilecti subleuatus, supra nostram capacitatem negotium suum exequitur. Spiritus enim diuinus in amorem suum nos sustollens, supra rationem in seipsum, vnione felicissima nos habitare, & requiescere facit, & hic gradus multis nominibus decoratur. Dicitur enim amor eleuatus, quia supra omnem operationem eleuatur, & spiritum eleuat in quendam diuinam claritatem, id est, in quendam nudam intelligentiam, & nudum amorè. Dicitur autem nudus, & otiosus, ac quietus, quia ab omnibus intermedijs denudatus, nudè se trāsferit in amorem essentialè, & otiosus ab omni operatione vacat, nec in eo viuunt accessus, & recessus, nec impetuositas amoris, vel virtutum: sed est sicut oleum, quod bulliendo omni dissimili exusto, & consumpto iam sedatum est, incalescens, & in seipso superinardescens. Viuit etiā quietus in Deo, & Deus in eo, nec quicquam aliud interuenire potest, sed nutriens, & pascens omnes virtutes, nullū sumit nutrimentum nisi in Deo. Et sicut fons semper effluit, & in suo viuido principio semper plenus permanet: sic etiā per dona, & omne sanctitatem semper effluit, & in se super omnia quietus, & immotus remanet. Dicitur etiā purus, quia ab omnibus alienis affectibus est depuratus, & penitus in depictus. Deniq; dicitur amor essentialis, qui in ipsa essentia animæ constitutus est, in què spiritus subleuatur, cum supra rationè, & amorem practicum per nudam intuitionè in essentia suæ tranquillitate, & vnitatem constituitur, ac cum Deo spiritus vnus, & vnus amor efficitur. Nam in hoc essentiali amore, noster intellectus eleuatur sine fine per vnionem, quam essentialiter cum Deo possidet. Dicitur etiā amor fruibilis, vel fruiuius, cum amori diuino perfecte amor noster coniunctus est. Nam Deus se in ipsa vacua nostri spiritus otiositate fruibiliter manifestat, & amās spiritus in essentiali fruitione sibi defluit, & liquefit sine reuersione, secundum naturam fruitionis, qua spiritus libijpsi in Deo moritur, veluti flumina sine reuersione in mare defluentia. Vnde in essentiali fruitione, nullam spiritus inter se, & id quod amat, percipit discretionem, quoniam à se in quendam essentialis amoris latitudinem dilatatur, cuius flamma spiritum nostrum in ignem amoris diuini infinita magnitudinis subuehit, & vnum amorè, ac fruitionem efficit: quia amor Dei, &

Amor eleuatus.

Amor nudus, otiosus, & quietus.

Amor purus.
Amor essentialis.

Amor fruibilis.

Dei, & amor noster semper similes sunt, & vnum in fruitione, vbi spiritus eius * amorem nostrum deglutit, & absorbet cum seipso in vnam fruitionem, & vnam breuitudinem. Vnde licet de natura amoris est nunquam otiosi, sed semper operari; tamen quantum appropinquat aeterno amori, tantum appropinquat ipsi fruitioni, quae vacare cogit: & hoc ideo, quia cum amor noster amori diuino perfecte coniunctus est, tunc non agit, sed agitur, & a spiritu diuino transformatur, quia in fruitione solus Deus operatur, vbi omnes amoroſos spiritus expirare facit, & eos consumiens in vnitatem spiritus sui transformat. Est enim fruitio complexus dilecti in dilecto super omne desiderium in quendam simplicem nudum amorem, vbi Pater cum Filio dilectum suum comprehendit in vnitatem fruitiuam. Spiritus sui, supra naturam fecunditatem. In quo complexu cogitur expirare, liquare, diffuere, & in fruitione vnum cum Deo fieri. Et quanto magis huic complexui propinquamus, tanto magis de hac fruitione participamus. Porro proprium exercitium huius gradus amoris est assimilare, & vnire: quae duo licet salubriter frequententur, & exerceantur in omnibus amoris gradibus, hic tamen duntaxat effectum suum, & perfectionem plene sortiuntur. Vnde Deus naturaliter effluit veritate, & amore, quia veritas aeterna a Patre generatur, & amor aeternus ex utroque procedit, & in his Deo similes esse debemus supra omnia virtutum exercitia. Secundò verò naturaliter influit vnitatem, & essentiam, quia vnitatem diuinam naturam intrahit tres personas in nexu amoris, & essentia diuina comprehendit vnitatem in otiositate circumplexu quodam fruitio in essentiali amore. Sic amoris nexus vires nostras intrahit in vnitatem spiritus nostri, sicque ulterius in simplicem vnitatem essentiae nostrae superascendimus, vbi diuinam vnitatem suscipimus, & eius fruitionem degustamus. Vnde Deus in spiritu nostro habitans, has quatuor proprietates in nobis efficit, quas (cum in simplicitate spiritus nostri efficaciter introuersi fuerimus) continuo reperimus: Quia per nostram introuersionem primò statim immensa claritati diuinæ obuiamus, in qua noster intellectus consideratione qualibet, & imaginibus vniuersis priuatur, ac si nunquam rem aliquam vidissemus, & audissemus. Et quia puritas haec spiritus nostri diuina claritate perfusa, in profundo nostri intellectus fundata est, ideo cum intellectu nostro introuerso, puro, & nudo semper ascendere debemus, simpliciter aspicientes illam diuinam claritatem, id est,

* Alias spiritum.

Amor ut operetur.

Fruitio quod.

Amoris huius gradus exercitium proprium quid. Deus ut effluat, & influat.

Effectus Dei in spiritu nostro qui.

Deus ut
maneat in
spiritu no-
stro.

æternæ veritatis apparitionem, quæ in nobis semper splendens est, & inhabitans, in qua puritas, & nuditas nostri spiritus fundata est, vt in eandem simplicem claritatem transformemur. Secundo verò quia Deus in simplicitate nostri spiritus cum quadam infinita opulencia sua manet, ideo in eadem amabili introuersione, vbi diuinæ claritati sic obuiamus, diuitias istas per sentimus, & in his spiritus noster ab omni velle, & desiderio ad eum liber est, & otiosus, ac si in celo, & in terra non esset aliqua res, qua nos indigeremus, quia diuitijs illis vniti sumus quæ Deus est. Et quia tanta puritas introuersæ nostræ voluntatis, Dei perfusæ diuitijs in profundo nostræ virtutis amatiuæ stabilitur: hinc cum amore nostro puro, nudo, & introuerso simpliciter ascendere debemus in ipsam incomprehensibilem Spiritus sancti bonitatem, qui diuitias suas, id est, seipsum in nostri spiritus simplicitatem, ac nostræ voluntatis eleuationem puram infundit. Et hæc duo diuinæ puritati, ac simplicitati nos similes efficiunt.

Deus ut v-
niat se spi-
ritui nostro.

Tertio verò cum nos in illam diuinam claritatem, & Dei diuitias introuertimus, mox diuinam vnionem sentimus, quam cum spiritu nostro conficit, per quam & vniuersis creatis in adhaesibiles efficiamur, ita vt nemini nos placere delectet, & nos abstrahendo, nemo nobis placere possit: & sic nulla creatura potest in nobis immorari nisi solus Deus. Et ideo cum vnitate spiritus nostri semper habere debemus æternum * viuendum ascensum in ipsam venerabilem Dei vnitatem, quæ si-

* Quæ de as-
censu essen-
tia, & natu-
ræ nostræ in
essentiâ na-
turæ quæ
diuinam di-
cuntur hic,
non intelli-
guntur quò
ad cognos-
cendū hanc
essentiali-
ter, atq; de
fate in hac
vita, sed o-
stendit: quis

ne intermissione dat, & recipit, offert, & exigit, nec amantem quem-
que in semetipso durare permittit. Quarto deniq; Deus in simplicitate spiritus nostri habitat cum sua essentia, quia cum per claritatem, & diuitias, ac vnionem cum Deo nos ipsos derelinquimus, & omnia superando transimus: tunc in ipsam simplicem vnitatem essentia nostræ peruenimus, & immensam ibidem amplitudinem, & infinitam profunditatem essentia diuinæ per sentimus. Vnde cum nostra essentia in ipsam diuinam essentiam, & cum nostra natura in ipsius naturam supereminentem ascensum habere debemus: quia quælibet natura rationalis de iure querere debet suum principium. Et hæc sunt quatuor proprietates omnem profunditatem excedentes, quibus nostri spiritus simplicitatem sine mensura clarificat, & dicit, & in vnitate conseruat, & in essentia possidet.

si deinde eorum nostrorum finis tantum, ad quem semper aspirare debemus, consequendus tamen solum in alia vita.

D. HEN-

D. HENRICI HARPHII

THEOLOGIAE MYSTICAE,

LIBRI TERTII

PARS TERTIA.

*De supremo exercitio vite speculatiua, & spiritualis.**Cap. XVII.*

A Mice ascende superius Luc. decimoquarto. Ad prosequendum euidentius supremum gradum in exercitio spirituali, & cōtemplatiuo, quod absoluto spiritu duntaxat attingitur: sciendum quod primò fieri necesse est quandam mirabilem diuisionem nō corporis, & animæ: sed animæ, & spiritus, quā operatur in nobis *sermo Dei uiuus, & efficax, penetrābilis* ^{Hebr. 4.} *or omni gladio ancipiti, ut sic spiritus ab omnibus exoneratus, libere suum negotium exequatur.* Vnde uerbum hoc Apostolicum exponens Augustinus, libro de spiritu, & anima, ac etiam Richardus, libro de exterminatione mali, dicunt: Quod in creaturis nihil hac diuisione mirabilius cernitur, quoniam id, quod essentialiter vnum est, & indiuiduum, in seipsum quadam partitione diuiditur: neque enim in homine vno alia est essentia sui spiritus, & alia animæ suæ, sed vna eademque substantia simplicis naturæ. Non enim in hoc gemino vocabulo, gemina substantia intelligitur, sed tantum ad distinctionem ponitur gemina nominatio eiusdem essentia: vna superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. Ita quod in hac diuisione in imo remaneat quod animale est, & sursum euolet quod spirituale est. Hoc enim ab animali diuiditur, ut vsque ad speculationem diuinæ gloriæ sublimetur, & suo Domino coniungatur, & in eandem imaginem trāsformetur: quia *qui adheret Deo vnus spiritus* ^{1. Cor. 6.} *efficitur.* Præterea, spiritus humanus à corpore, & anima in tantum aliquando subtrahitur, quod merito spiritus in spiritu esse dicitur, cum scilicet omnium exteriorum obliuiscitur, ignarus pariter eorum, quæ in corpore corporaliter aguntur, & illis solum per memoriam, vel intellectum ^{Spiritu esse in spiritu quid sit.} interest, quæ in spiritu, vel per spiritum actitantur. Vnde Haymo super

D d d d

illud

Apoc.
Spiritu esse
in spiritu
quid sit.

Spiritu esse
sopra spiri-
tu u quid
sit.

Spiritu esse
sine spiritu.

Psalms.

Amor frui-
tius, ut sit
quædam
abyssus.
Psal. 41.

illud Apocalypsis: *Ego Ioannes fui in spiritu*, dicit: Ioannes in spiritu factus est, quod tamen ipsam carnem penitus non deseruit, sed spiritui aternitatis adhæsit mens eius, & à spiritu docente, spiritus docendus assumptus fuit: ideo tam mirabilia & profunda vidit. Aliquando verò spiritus humanus, tanto feruore super se rapitur, quod merito spiritus supra spiritum esse dicatur: cum scilicet, non solum omnia transcendendo despicit, sed etiam semetipsum contemnendo relinquit, ac in comparatione dilecti se despicit: vnde miro modo fit, quod per ignem dilectionis in illum, qui est supra se, sustollitur, & ut exeat à se, per vim amoris impellitur, nec se cogitat, cum Deum solum amat. Denique quandoque spiritus humanus in tantum à semetipso quodam modo diuiditur, quod spiritus sine spiritu esse merito dicatur: cum scilicet à semetipso iam penitus incipit deficere, & à suo esse, in supermundanum quædam, & plusquam humanum statum trāsire, ita quod ipse, iam non sit ipse, saltem eo tempore, quo Domino iam incipit altius in hæere, totus intrans in illud diuinitatis arcanum, & dicens cum Propheta: *Defecit in salutare tuum anima mea*. His igitur præmissis, gradum hunc prosequamur, illum vitæ supereminenti copulantes.

Pro quo sciendum, quod immensa Dei illuminatio nos incomprehensibili claritate irradians circumfulget, & perfundit incomprehensibili lumine fructuam nostri spiritus inclinationem, in quo se spiritus fructuua quiete profundat. Hæc autem simplex inclinatio profundat amoris spiritus nostri, fructuum amoris in nobis causat. Qui cum sine careat, super omnia immensus est, & imperscrutabilis, vniuersisq; dilectionis exercitationibus supereminens. Nam Deus in ipsa vacua nostri spiritus otiositate se fruibiler manifestat, & amans spiritus in eminenti fructione sibi defluit, & eliquescit, nullam inter se, & illud quod amat discretionem percipiens, cum à se in quandam eminentis amoris latitudinem dilatatur, & flamma amoris illius, in ignem cum subuehit insinibilis amoris Dei. Et hæc in amore liquatio, penitus omni modo caret secundum naturam fructionis semper sine reuersione profluens, & ideo per consequens, hic amor fructiuus abyssus quædam est. *Abyssus ergo Dei inuocat abyssum*, id est, omnes vnitos spiritui Dei complexu diuini amoris. Est autem hæc inuitatio cuiusdam habitualis claritatis superinfusio, quæ brachijs immensi amoris nos cõplexans, id agit obuolutione suæ infinitatis, quod in vastâ caliginem deitatis defluentes, quodammodo nos ipsos amittamus; & sic Dei spiritui sine medio.

adio feliciter vniti, ad Deum per seipsum valeamus ascendere, & cum ipso, & in ipso, nostram aeternam beatitudinem possidere.

Et hic gradus triplici modo potest exerceri. Primus modus est, cum quis pondere fructiua inclinationis supra praxim omnesque virtutes in diuinis, simpliciter se profundat, simplici contutu fructiui amoris in anteriora prospectans: in quo prospectu Deo protinus immediatè se presentat, ipsumque ex vnitatis diuina lumen quoddam irradiat, sub triplici similitudine se manifestans. Primò, vt caligo quaedam, cuius immensitate veluti quodam complexu penitus obumbratur, & omni modo, quasi vagabundus priuatur. Secundò, vt serenitas quaedam, cuius informitate omne consideratum, & omnem rerum differentiam amittit, simplici claritate circūfusus, & perfusus. Tertiò, velut quoddam nihilum, cuius inanitate ab omni opere sabbatizare cōpellitur, eò quòd operatione diuini amoris ipse vincitur sed acumine penetrabili fructiua inclinationis sui spiritus ecōtra Deum vincens, vnus cum eo spiritus efficitur, per quam vnionem gustum fructiuum consequitur, & secundum profundationem sui ipsius immensis Dei delitijs, diuitijsque repletur. Ex hac autem repletione complexus quidam, ac plenitudo affectiui amoris in supremarum virium vnitatem effluit, ex qua rursus *fluminis impetus* penetratiui saporis descendit, cordis *ciuitatem*, & sensitiuarum virium suburbana latificans. Et sic *Altissimus Dominus tabernaculum suum* intrinsecus immobile reddit, & stupidum, operationis suae dominio, viribus eum in tantum destituendo, quòd in intimis suis nil aliud sciat, vel sentiat, nisi quandam singularem claredinem cum sensibili dulcore, & penetrabili sapore.

Exercitium
huius amo-
ris triplex.

Et hic est primus modus summae spiritualis exercitationis, qui toties impeditur, quoties vir spiritualis quauis occupatione, vel quolibet exercitio virtutum intermediante intrinsecus intercipitur, aut formatur, quoniam iste modus est intimus animi sabbatissimus, vniuersa supergrediens, & postponens.

Secundus modus est, cum quis affectuose, & practice conuertitur in diuina, ad exhibendū Deo reuerentiam, & honorem, seque, & omnia sua in sacrificium charitatis, & amoris, igne consumendo adoleat, sicque medio quodam ad Deum feliciter properat. Hoc autem mediū est donum sapientiae, quod viros spirituales secundum amoris sui mensuram in actus virtutum dirigit, tantaque vehementia deuotum animū tangit, & accendit, quòd vniuersa, quae Deus donare queat, praeter

Deum solum illi modica videntur, vtpote præ dilecti amore minime sufficientia. Sentit nimirum in intimo spiritus sui, silens quoddam, & occultum susurrum in divini tactus, quod omnium virtutum finis est, & initium. In quo velut in altari, spiritus Deo sacrificia virtutum manibus sincera affectionis immolat. Quod etiam velut ignis altaris amor vitaliter inhabitat.

Esuries
amoris.

Et ex hoc in tantum crescit amoris esuries, quod per excessum sui se iugiter immolando, in operatione sua deficiat, & in extremo spiritu defessus, ab amoris igne resolutus, quodammodo annullatur. Esurit enim Deum plenè degustare, quem nullò conamine prævalet capere, sed è contra in singulis Dei irradiationibus à Deo comprehenditur, & recenti amoris tactu tangitur. Sicque iugiter in eo amoris esuries affectuosa renouatur. In hoc ergo modo fidelis amator gratiæ similitudinem gerens, summo affectu dilecto vniri desiderat. Et hic modus nobis est vtilior, & laudabilior iam præmissis, quoniam hic illius est causa, cum nemo supra praxim quietem consequi potest, nisi prius amorem affectuosum, & practicum exercuerit. Et ideo necesse est gratiam Dei nostrumque practicum amorem præcedere, & subsequi, hoc est prius ac posterius exerceri, licet eo tempore, quo feliciter à Deo agimur, & fruitionem consequimur, ab omni operatione feriari cogamur. Nam absque amoris operatione mereri non possumus, nec aliquando Deum adipisci, nec id ipsum saluare, quod antea fuimus per amoris opera consecuti. Sed hic modus impeditur, quoties vir spiritualis cuius Dei dono infederit, aut cui libet innixus fuerit creaturæ, quoniam esuries quædam est, quam præter Deum nihil proxius poterit satiare.

Tertius denique modus cæteris est præstantior, ex duobus iam dictis ortum habens. Est enim vita spiritualis, norma iustitiæ regulata. Nam Deus in nos veniens, fruitionem exigit, & operationem: vtrumque simul, & neutrum ab altero præpeditum, sed potius alterum ab altero confortatum. Et in his duobus vir spiritualis vitam suam vtroque totus possidet, & indiuisus. Quia totus est in Deo, vbi fruitiuè quiescit, & totus in seipso, vbi practice diligit. Sicut enim amor fruitiuus cum Deo causat vnitatem, sic amor practicus alteritatem. Porro summus amator hæc duo per singula horarum momenta pariter exigit, scilicet quietem, & operis innouationem. Iustitia ver spiritus nostri vocem huius exactoris exaudire cupiens, iugiter quod
peti-

petitur, adimplere desiderat. Et ideo in singulis Dei irradiationibus spiritus noster in diuina practicè, fruiuiueque conuertitur, per quod & in virtutibus innotatur, & in fruitionis quietem profundatur. Nam Deus vnico munere se, & sua dona largitur: spiritus autem noster in singulis conuersionibus in diuina se, & omnia opera sua relargitur. Proinde consolatio, pax, gaudium, pulchritudo, diuitia, & infinita tallia lætificantia cor humanum, oculis luminosè rationis in Deo sub spiritualibus similitudinibus ostenduntur, nec tamen propter ostensionem huiusmodi, nec propter Dei tactum, amor operationem deserit: quia vir iustus vitam veram fruiuiam, & actiuam pariter in spiritu stabiluit, quæ quidem in æternum manebit: sed post hanc vitam in statum mutabitur altiolem.

Cæterum, quicumque hanc operationem, & quietem in vnico exercitio non possident, hanc iustitiam minimè sunt adepti, cum vir iustus in sua conuersione ad Deum, impediri non potest, quin tam fruiuiè, quàm practicè in diuina conuertatur, eò quod similis est speculo gemino, in vtranque faciem obiectorum imagines susceptanti. Nam secundum superiorem suam faciem, Deum suscipit, cum omnibus donis suis: secundum inferiorem verò faciem sensibilibus imaginibus suscipit pariter per fenestras sensuum introductas. Potest igitur dum vult, ad interiora se conuertere, & absque impedimento hanc iustitiam exercere. Veruntamen homo, dum in hac vita degit, mutabilis est: & ideo frequenter ad exteriora absque necessitate, & imperio luminosè rationis, sensuum intendens negotijs, conuertitur, & maculas venialium contrahit: quæ tamen in amatoria conuersione ad Deum, sic penitus absumuntur, quemadmodum in camino ignis aquæ guttula absorbetur. Sic spiritus Dei spirando nos extrahit ad amandum, & virtuosè operandum: ac iterum in seipsum intrahit ad quiescendum, & fruendum. Et hæc est vita æterna, quam nunc quoque prælibare poterimus, sicut à simili corporalem aërem intra nos existentem protinus expiramus, vt intrahendo denuo nouum aërem attrahamus, in quibus duobus nostra mortalis vita subsistit.

Præterea, licet spiritus noster, per inactionem diuini spiritus expirare cogitur, & opere suo deficere, feliciter in fruitionem, & beatitudinem quandam effluens: semper tamen iterum in gratia, charitate, & virtuositate renouatur. Sicque mira vicissitudine semper introuertj debet in quandam otiosam fruitionem, & exire per virtuos-

Spiritus noster vt expirat, per inactionem diuini spiritus.

758
 sam operationem, semperque spiritui diuino coniunctus permanere per amorosam inclinationem. Sicut enim oculi corporales iugiter aperiuntur, & vident, ac iterum in momento nobis imperceptibili recluduntur, & iterum aperiuntur, veluti semper aperti permanentes: sic in Deo per amorem fructuum morimur, & iterum ex Deo exentes ad operationem virtuosam, per amorem practicum in nobis viuimus, subito tamen in Deum denuo reuertentes, vt moriamur, ac cum eo per inauulsiibilem adhesionem semper permanemus. Et haec est nobilissima sensio, quam in nostro spiritu sentire, vel experiri possumus. Quam in Canticis adeptam se sponsa gloriabatur, dicens:

Cantic. 2.
 Cella vinaria quid.

Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Cella ista vinaria est vbertas diuinæ sapientiae, intelligentiae, prudentiae, & discretionis, vbi noster intellectus, & ratio nectare, vel mulso prima veritatis inebriantur. Et tunc amor debite suis exercitijs ordinatur, ita quod non semper effluat in ipsam caliginosam inhabitationem, quam intime diligit, vt pote suae naturae magis conuenientem: sed illuminata ratio quandoque circumducit eam, ostentans, & obijciens mirabilia, & amabilia, quae fecit Deus ex infinita sua potentia, sapientia, & bonitate in omnia creata: praecipue tamen in illud gloriosissimum, ac omni deuotione complectendum speculum immense admirationis, & totius sanctitatis, sanctissimam scilicet humanitatem Domini nostri Iesu Christi, ac omnia quae in hac mortali naturam gratiose, pie, & amorose sua dignatissima bonitate agere, & pati dignatus est: vt sic velut apis nobilissima, ex omnibus, quae sibi ratio lucide proposuit, mellea fugat pocula laudis, gratiarum actionis, & reciproci amoris. Quibus feliciter onerata, in proprium alueolum concito reuolans, in amatum suum per dulcedinem amoris fructuum, velut in abyssum quandam funditus diffluat, illuminata ratione foris excubante. Vbi cum summam operationem suam mellea sua pocula contutans consummauerit, & vsque ad deficientiam spiritus sui peruenerit, ac aliquanti per a diuino spiritu dulciter acta, obumbrata, confota, ac circumplexa fuerit, denuo illam illuminata ratio deducens, velut apem argumentosam circumuolare cogit ad allucta mellea pocula recolligenda, vt simili fecunditate reuollet in id ipsum. Et in his ordinatur charitas, cum mens humana supra singula quaeque requiescere nouit iuxta sapientiam veritatis, & illuminatae rationis, ex omnibus mellitam dulcedinem diuinæ maiestatis, boni-

Anima vt sit apis.

bonitatis, largitatis, charitatis extrahens, cum qua iugiter reuolet in appropriatum aluicolum, id est, in ipsum amatum, vnde omnia effluxerunt. Ad hoc enim duntaxat celebratur hæc vicissitudo euolutionis, vt vberiori semper fecunditate reuolet in dilectum. Et hæc semper intentio non solum principalis, sed & vnica est: & hoc potius ex necessitate, quam ex dilectione: quia, sicut inferius declarabitur, exercitium acceptissimum Deo, feliciter exercetur in ignota consurrectione ad Deum per flammigeras ascensiones, & aspirationes, quibus citius, quam excogitari potest, sine omni cogitatione preuia, vel concomitante, quotiescunque placuerit, centies vel millesies in die, vel nocte in Deum afficitur, innumerabilibus desiderijs ad ipsum solum possidendam aspirando. Sed hoc exercitium ex necessitate quandoque intermittitur, cum, quoniam vt huius desiderij completionem consequamur, necesse est ipsam diuinam perfectionem secundum possibilitatem imitari, præsertim in his, quæ nobis exemplo reliquit in assumpta natura. Hinc est, quod hæc ipsa pia mente recolere debemus, vt ad assimilationem aspiremus: tum, quia tam vigorosam consurrectionem continuandam naturæ fragilitas non sustineret: tum, ne tanta quiete delectati torpescamus.

De sex, quæ sunt necessaria ad perfectam fruitionem.

Cap. XVIII.

Alice ascende superius. Ascensus iste est progressus diuini amoris, qui est abyssus interminabilis, & ideo infinitis gradibus ascendere poterimus per amorem practicum in amorem fruitionum. Cum enim quis cum totalitate sui viriumque suarum se erigens, cum viuido quodam amore practico ad Deum se dirigit, tunc amorem suum in sua profunditate, vnde radicaliter originatur, & in sua fruitione sentit velut abyssum quandam infinitabilem. Si ergo per amorem practicum ingredi voluerit in amorem fruitionum, tunc omnes aliæ vires animæ perfluenti veritati, quæ Deus est, cedere compelluntur. Vnde sicut aër perfluentem solis splendorem, & calorem suscipiendo patitur, similiter ferrum ignis splendorem, & calorem, ita quod cum igne, igneas actiones peragit, vrendo, & illuminando, sicut & aër calefaciendo, & illuminando, natura tamen propria seruata (quia nec ferrum ignis, nec ignis ferrum efficitur, est tamen ibidem vnio quædam immediata:) sic Deus semper est in essentia animæ. Cum ergo vires eius superiores intro se conuertunt amore practico, Deo

Charitatis
ordinatio.

- co, Deo similiter immediatè vniuntur in simpla quadam scientia omnis veritatis, & in quadam eminenti sensu, & degustatione omnis boni: quæ simpla scientia, & sensus Dei, in essentiali amore possidentur. Exercetur autem, & conseruatur per amorem practicum, & ideo viribus animæ est accidentale per mortificatiuam introversionem in ipsum amorem: sed est eminens, & semper immanens ipsi essentiali animæ. Et ideo nos oportet semper actualiter intro conuertere, & in amorem renouare, si volumus amorem cum amore confouere. Vnde Dominus præcepit in veteri lege, dicens: *Ignis in altari. ix. eo semper ardebit.* Nam inter hominem (quem Deus virtutibus decorauit, & in vitam contemplatiuam sublimauit, iuxta summam eius introversionem,) & Deum suum nullum est medium, nisi illuminata ratio, & practicus amor. Supra rationem autem, & amorem practicum subleuatur in quadam nudam intuitionem in essentiali amore: ubi cum Deo spiritus vnus, & amor vnus efficitur. Et in hoc eminenti amore eleuatur eius intellectus, sine fine per vnionem, quam essentialiter cum Deo possidet: in qua eleuatione habilis efficitur in sua contemplatione, cum Deus voluerit videre omnes creaturas in cælo, & in terra, cum discretione vitæ, & præmij. Nam hic amor æternus in spiritu viuens, quo sine medio Deo vnitus est, lucem suam, & vigorem diffundit in omnes animæ vires, & est origo omnium virtutum: quia gratia diuina defluit vsque in extremas, & infimas animæ vires. Ac inde prouenit amor cordialis, & ad Deum delectatio sensibilis, quæ duo replent, & perfluunt cor & sensus, carnem & sanguinem, omnemque naturam corporalem. Causant etiam corporis compressiones & agitationes inuasibiles & efficitur quis velut ebrius, mustoque plenus, nec sui iuris, & sic totus homo veluti quadam fruitione perfunditur.
- Veruntamen ad fruendum Deo, prout nunc de fruitione loqui intendimus, sex sunt necessaria. Primum est, vera pax inter Deum, & se, quam qui voluerit in se reperire, necesse est, vt in tantum Deum diligat, vt liberrimo animo propter eius amorem, & honorem, omnibus inordinatè vilitatis, & amatis abrenuntiare valeat. Quicquid enim in creatis delectabiliter, & amorosè possederat, quo perplexitas, vel anxietas generari, vel quocunque modo internum exercitium impediri poterat, totum rescindere debet, ac cordiali amore animoque viuaci ad Deum, & in Deum eleuari, & iuxta vires per arden-

Introuersio
vt fiat.

Leuitic. 6.

Amor cordialis.

Delectatio
sensibilis
ad Deum.

Pax vera
quam
necessaria
fruitioni
hominum.

ardentem charitatem supra omnia in simplicem mentis nuditatem exaltari: ubi lex amoris completur, & in quandam fruitionem terminatur. Ad quod necessario cordis puritas requiritur: quam qui consequi voluerit, cum emulatione rem quamcunque possidere non poterit, nec cuiquam spontanea promptitudine adherere, vel conuersatione communicare. Quia omnis conuersatio, & emulatio, quae non est pure propter Deum, cor eius depingit, & contaminat, eò quod non est ex Deo nata, sed ex carne. Hinc oportet omni carnali emulationi renuntiare, & soli Deo dilectione adherere, & cum possidere. In qua possessione Dei, cum dilectione purificatur intrinsecus ab vniuersis imaginibus: quia Deus spiritus est, quem nullus proprie figurare nouit. Opera autem exteriora dum ratio dictauerit, sunt quidem perficienda, sed sine sollicitudine cordis, & multiplicitate, mente semper ad Deum erecta: quia licet approbetur labor, reprobatur tamen cordis anxietas, & sollicitudo. Quoniam in omnibus perplexitatibus, sollicitudinibus, & multiplicitatibus amoris affectus debilitatur, & diuersis tentationibus, & insidijs exponitur. Et ideo naturæ sensualitates, & oblectationes etiam in minimis exequentes, facile refrigescunt in amore, desipiunt in spiritali sapore, decrescunt in virtute, desuunt in abominandam ingratitude, & repiditatem. Qui verò legitime oblectationes vitiosas debellauerit, citò victoriam obtinebit, & in omnem perfectionem efflorescit. Quod si facili labore victoriam desiderat, eligat semper animum internum, & eleuatum gerere, plus amplectendo interna amoris exercitia, quam externa virtutum opera. Quia quamdiu ad interna exercenda sui compos permanserit, tamdiu pacem habebit. Alioqui si externus fuerit, diuisus erit, nec Deo plenè viuere, nec vitijs plenè mori poterit.

Puritas
cordis.

Opera exte-
riora vt per-
ficienda sint.

Secundum est internum silentium, id est, quaedam mentis denudatio, & omnium formarum, quae dilectum non representant, omnimoda expoliatio. Oportet enim quod ipsa memoria sine anxietate & sollicitudine à cunctis imaginibus depingentibus libera sit, & absoluta, vt scilicet animus sit totus liber, patulus, super omnia eleuatus, ac vt mens Deo vacet, ab omni consideratione rerum nuda, & vacua, qua Deum solum desideriosè possideat. Nam spiritalis in desiderio libertas facit hominem exclusis omnibus rerum formis expeditum ad Deum in omnibus externis exercitijs, vt inter illa se valeat eleua-

Silentium
internum.

Eeeee rein

re in laude, gratiarum actione, & in omnibus, quae operari norant affectio, & dilectio, diuina gratia, & interna diligentia, ad omne exercitium spirituale fideliter opitulantibus. Si verò in exercitijs exterioribus aliquando distrahitur, & ab internis elongatur, amicum habeat orationis studium: & industriosa diligentia se reuocet ante conspectum Domini, donec interiorē sentiat unitatem, & in Deum amorosam conuersionem, quibus omnes imaginationes, & peregrinae impressiones dissoluantur veluti nebulae: ut sic cum voluerit omnia penetrando, super omnia eum, quem amat, valeat contemplari. Quod vni que facillimum est efficaciter amanti, quia vbi amor, ibi oculus: & vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Omnia nimirum à corde citius euelluntur, quae amatiua nostra virtute non complectimur, nec desiderijs possidemus. Nam purus amor & inepictus, spiritum facit simplicem, & ab omnibus otiosum, sustollit hominem supra seipsum, & super omnia opera sua: coniungit hominem Deo, & spiritum stabilis in quiete & fruitione.

Muth. 6.

Amor purus, quid valeat.

Praelati spirituales, quales esse debeant.

Potè nullus ad praelaturam idoneus iudicatur, nisi vtraque manu utatur pro dextera, quo scilicet in omnibus actibus se tam expeditum inueniat ad ingressum, sicut ad egressum: ad contemplationem, & fruitionem, sicut ad actionem: quia Praelati spirituales in vtroque perfecti esse debent. Denudet ergo virtutem suam intellectuam, & per fidem supra rationem subleuet, vbi resplendet radius solis aeterni, docens & ostendens omnem veritatem. Veritas autem liberum eum reddet, & nudum intuitum suum ab omni imaginatione stabiliet. O beatum intuitum, quem semper amatiua virtus cum amore nudo subsequitur, in qua sequela semper fluunt riuli gratiarum Dei, animam ipsam introducentes ad fontem viuum Spiritus sancti, vbi venae profluunt aeternae suauitatis, animam inebriantes, & supra rationem eleuantes in vastitatem aeternae salutis: & haec est radix & substantia totius sanctitatis, ex qua semper procedit donorum exercitium, & virtutum: quoniam amor otiosus esse non potest.

Adhæsiō amorosa.

Tertium est quaedam amorosa adhæsiō, & haec est ipsa fruitio. Qui enim ex amore puro Deo adhæret, non propter aliquam propriam vtilitatem, ipse Deo in veritate fruitur, sentitque se Deum diligere, & se à Deo diligi. Nam purus spiritus amore nudo semper inclinatur, & intellectum depuratum sequitur vsque in suam originem: Cum enim purum, & liberum ascensum habeat in Dominum, præ-

ter

ter eius honorem, nihil aliud prorsus intendens, necessatio consequens est, quod Dei bonitatem sapiat, & veram cum eo unionem sentiat, in qua spiritualis vita perficitur: quoniam ex ea desiderium semper de nouo contingitur, & ad noua interna opera excitatur, operandoque spiritus ascendit in nouam unionem, sicque semper opus, & unio renouantur. Et haec est adhesio gratuita, & foecunda, quae nos ad eum dilecto vinculo charitatis coniungit, quod vniuersis creaturis inadhafibiles efficiuntur, ut nemini nos placere delectet, & nobis adherentibus Deo, nemo inordinate placere possit. Hanc autem operationem, & unionem continuatam nos docet Dei tactus, qui semper est vniudum quoddam medium inter nos & Deum, rationem nostram illuminans, & nos pariter continue intrahens & extrahens. Intrahens quidem, & a nobis exigens, ut nobis ipsi renuntiantes, & penitus exuentes, in Deum nos totaliter effundamus, & vnum efficiamur, ac eum secundum eius dignitatem adherendo, diligamus: & cum eius dignitas infinita sit, infinite nos amans, sicut infinitus est, sic a spiritu nostro amorem exigit sine mensura. Hinc omnes vires nostrae in vnum conglobatae, scintillantibus affectibus respondent, & dicunt: Amemus amorem nos aeternaliter amantem. Sicque succrescit quoddam insatiabile desiderium, & avidus amoris appetitus, quem nec ratio, nec vlla creatura conpescere, vel sedare potest, se totum in Deum per amorem effundere cupiens, & diuinam totalitatem in se comprehendere gestiens: quae duo sunt ei impossibilia, nisi deficientibus in operatione viribus, a spiritu diuino feliciter agatur, & eius operationem patiatur supra omnem operationem suam: & sic patiendocomprehendat eum, quod est incomprehensibiliter comprehendere, scilicet patiendocomprehendendo. Est etiam iste tactus extrahens, & exigens a nobis vitam virtuosam, diuinamque similitudinem, in quibus duobus dum obedienter fuerimus, tunc viuimus secundum diuinum beneplacitum.

Tactus Dei
quid sit, &
quid doceat.
Tactus Dei
intrahens.

Tactus Dei
extrahens.

Quartum est, in eo, quo fruatur, quiescere. Nam vbi dilectus a dilecto vincitur, & in puro nudo eminenti amore possidetur, ibi dilectus in dilectum cum dilectione prolapsus est, alterque alterius in possessione, & quiete mutua totus est. Vnde ex diuino contactu plerumque spiritus amans, per amplexum quendam vniui amoris penitus liquefit: quoniam ex illo profluit quoddam incendium, adimplens

Quies in
Deo.

Eeeee 2 virium

virium superiorum vnitatem, & consumens vniuersas imagines, & omnia media. Tandemque apparitio quaedam sequitur vitam perpetuam demonstrans: sed quomodo vel quid sit in se, penitus est indicibile: quia nec aliqua potest ostendi similitudine, nec verbis aut exemplis quibuslibet edoceri: sed ex Deo effluit, & in mente sublimiter eleuata semet ostendit: quam dum contemplari spiritus appetit, subito omnem sui modum amittit, & cum lumine illo vnum efficitur: quia in eius complexu spiritus clarificatur, & totus diuino lumine perfunditur, primaque veritati, quae Deus est, vnitur: vbi Deus in eo, & ipse in Deo requiescit, ac aeterna quadam fruitione alter alterius est amplexus.

Obdormitio in Deo.
Cantic. 5.
Vnitatis Dei intrahens.
quid sit.

Quintum verò est quadam in Deo felicissima obdormitio, in qua spiritus à se desinit, nesciens vbi vel quomodo; hoc tantum cum sponsa dicens: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Cum enim intrahens Dei vnitatis nihil aliud sit, quam amor quidam interminis & imperscrutabilis, sua virtute Patrem, & Filium, & omne in eis viuens in aeternam intrahens fruitionem: ideo in hoc amore ardere volumus, & comburi in perpetuum, cum in hoc consistat summa felicitas omnium spirituum beatorum. Quamobrem nos oportebit vitam nostram fundare super illam infinitae profunditatis abyssum, & sic poterimus in aeternum mergi in amorem, & à nobis demergi in ipsam imperscrutabilem profunditatem: & in eodem alterabimur, & à nobis exaltabimur in ipsam incomprehensibilem altitudinem, ac in ipso amore modo carente palabimus, & palantes vagabimur, & à nobis deuiabimus: & ipse nos ducet, & seducet in incomprehensam amoris Dei amplitudinem. In quo quidem influemus, & à nobis desluemus in ignotas delicias opulentiae bonitatisque diuinae, in quibus liquebimus, & deliquebimus, profundabimur, & de profundabimur aeternaliter in gloriam Dei. Quoniam qui spiritu Dei aguntur, habiles efficiuntur ad eliquendum in amorem, ab omnibus amoris exercitijs liberi, & otiosi, patientes, & recipientes diuinum simplicem amorem, eorum spiritum consumentem, & in seipso annihilantem. Sicque omnium obliuiscuntur, utpote in amorem liquefacti, nec scientes seipso, nec aliquam creaturam, nisi solum amorem quem gustant, & sentiunt, à quo possidentur in quadam simplici, & nuda otiositate. Sentiunt, inquam, se quandam longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profunditatem cum amore, qui

re, qui sine mensura est, omnia complectens, & semper manens incomplexus.

Sextum est; quaedam contemplatio caliginis, quæ ratione scrutari non potest, in qua se spiritus mortuum sentit & perditum, vnumque cum Deo sine alteritate, & discretione. Ibiq; Deus fruitio, pax, & quies eius est. Et hæc fruitio vacat vndiq; quoniã in ea dilectus dilectum ultra omne desiderium per nudum, & simplicissimam amorè amplectitur. Vbi Pater cum Filio in vnitæte Spiritus sancti omnes amatos spiritus comprehendit: quorum quemlibet secundum mellis suam bonitatis suæ complacentiam confouet requie fruitiua. Vbi mira confabulatio mutua, & plena complacentia ipsius Dei, & ardētis spiritus, gaudiumq; tam opulentum, vt omnem capacitatem creati spiritus excedat. Ibi spiritus velut expiratus sine spiritu effectus, à seipso destitutus, & transiens, vnus cum Deo spiritus per fruitionem constituitur, abyssali beatitudini diuinæ inauertibiliter inhærens. Vnde licet in nobis viuatur Dei cognitio, Dei dilectio, Dei contemplatio, & adhesio: longè tamen altius in nobis viuunt deitatis fruitio. Nam iuxta hoc, quod Deo per dilectionem adhæremus inspirati, spirituales siue spiritus dicimur: & iuxta illud, quo spiritu Dei transformamur, sine spiritu velut expirati effecti, Deo fruimur. Denique, qui prædicta sex in se senserit, erit ei in sua introversione tam promptum, & facile contemplari & frui, vt ita ferè dixerim, sicut in natura viuere. Ex cuius opulentia abyssus vita communis oritur: quia liberalitas, qua veraciter præditus est in diuinarum diuitiarum abyssu radicata est: & ideo se continere non potest, quin iugiter effluat per exercitia & opera virtuosa: quia iam factus quasi viuendum voluntarium instrumentum Dei, quo Deus, quod vult, & quomodo vult, operatur: ne cuius operationis efficaciam sibi ascribit: & ideo volūtarius manet & promptus ad agendum quodcunque Deus præceperit, validus & fortis ad tolerandum quodcunque Deus permiserit. Gerit enim vitam communem, contemplari, agere, & pati æquè paratus, & vtrobiq; perfectus est, quam vitam nemo habere potest, nisi solus verus contemplatiuus.

De tractu Spiritus sancti. Cap. XIX.

Nunc ordine congruo de felici tractu Sanctissimæ Trinitatis prosequendum esse reor, cuius opera licet indiuisa esse noscuntur, vt tamen nostra Trinitas illi vtunque respondere & correspondere videatur, vnicuique personæ in diuinis tractum magis appropriatum.

Tractus
Spiritus
sancti.

Amatiuae
virtutis o-
pus quod.

priatum assignare curabimus. Trahit enim Spiritus sanctus virtutem amatiuam, Filius virtutem intellectiuam, Pater autem virtutem memoratiuam. Spiritus enim sanctus amorosam animam dulciter allicit, dum oculis eius intellectualibus imaginem imprimat intellectualem diuinæ bonitatis & charitatis, quæ ipsemet est secundum personalem proprietatem: in qua sese tam diuitem & vberem ostendit omnium bonorum tam largisquæ, non solum in omnes generaliter effluentem, sed affluenti in dilectam suam modo singulari gratia sua, donisquæ; multiplicibus profluentem, adornantem, & perficientem eius inuolueram voluntatem cælesti sapore, ut anima sapiat, agnoscat, & probet, quàm suavis & bonus est Dominus. Hic sapor quandoque tam immensus est, quòd animæ gustanti videtur omnia creata simul liquari posse illo abyssi sapore. Nam omnem animæ regionem perfluens inundare facit, in tantum, quòd anima fidelis intellectualem affectuositatem: pericit, explicat in aduentum supereffluentis influxus diuinæ liberalitatis: velut si totam illam immensitatem deglutire & digerere conaretur: sed potius ipsa persluitur, & vndiq; circumplectitur, veluti si iam intrasset in gaudium Domini sui. Hinc statim eius amatiua virtus superior à calore sancti Spiritus sursum trahitur, luce suæ bonitatis & amati illustranda, ad Deum laudandum, glorificandum, & in omnibus profusa charitate gratias agendum. Vnde virtus amatiua feliciter illustrata in æternam illam claritatem aspicit, de qua delicia tam copiose defluunt. Et ex hoc confurgit concito quædam consideratio illuminatæ rationis, licet veraciter agnoscat, quòd illas incomprehensibiles delicias nunquam intelligere valeat, quia luce creata gaudium immensum considerat: & ideo in sua consideratione deficit. Intellectus tamen dum fuerit ab illa immensa claritate transformatus, sine intermissione læticiam illam incomprehensibilem æternæ beatitudinis contemplatur: & ratio multo subtilius solito creaturaliter in luce creata considerat, ut sese reficiat in subtilissimis imaginibus, & effluentibus operibus illius abyssi deitatis. Ex quibus dilectum suum esse considerat tantæ magnitudinis, & incomprehensibilitatis, quòd nunquam à creatura poterit plenè comprehendi. In eo namque contemplatur esse summam beatitudinem, pulchritudinem, plenitudinem, dulcedinè, charitatem, veritatem, æternitatem, maiestatem, fecunditatem, claritatem, fidelitatem, bonitatem, futuritatem, fruitionem, coronam, gloriam, & vitam nostram, & infinita similia, quæ considerat in illa in-

finita

finita diuinitatis abyſſo: quæ ſunt imagines ex ſimplici diuina eſſentia elicite creaturaliter: quia vbi ratio has imagines apprehendit, ibi ſunt creata, & elicite ſimilitudines diuinæ naturæ; ſed vbi hæc omnia principium ſortiantur, & ſinem ſecundum ſimplicem incuitum in quandam abyſſalem diuinitatis eſſentiam, ibi ratio deficit, quoniam ibi ſunt vna ſimpla diuinitatis natura.

Proinde tractum hunc calori naturali conuenienter aſſimilare poſſumus. Videmus enim in ſole, quòd per virtutem luminis ſui fecundum calorem cauſat in terræ naſcentibus, quæ beneficio ſui luminis attingit, ſingula ſecundum propriam aptitudinem fructuoſa reddes. Cum igitur calor iſte virtutè, ac naturâ à ſole recipiens, eius beneficio, & virtute opera ſua perficiat: conſequens eſt, vt ad ſuam originem, & cauſam in quantum poteſt, redire contendat, vnumquodque iuxta propriam aptitudinem ſuæ fecunditatis ſecum ſurſum trahens, quantum præualeat. Sic Spiritus ſanctus dum virtutem amatiuam, per obiectum diuinæ bonitatis, & amoris illuminat, in anima protinus viuendum quendam, & fecundum amorem cauſat, oculo illius intellectuali commendabilitatem, & amoroſitatem ſuam oſtentans. At quoniam iſt calor à Spiritu ſancto ſumpſit exordium, in ſuam originem, & cauſam redire contendit, amatiuam virtutem ſecum trahes in ipſam nudam, & patulam aperitionem ſuæ cogitationis, coram nuda præſentia incomprehenſibilis bonitatis Dei, & amoris: in qua ſibi conſtituit tranquillam quandam, & ſilentem admirationem incomprehenſibilis bonitatis, & igneam flammâ perfluentis, & profundantis amoris. Et ſicut ſol fecunditatem cauſat etiam ſub terra, vt patet in auro, argento, omniq; metallo, & lapidibus pretioſis: ſic obiectum diuinæ bonitatis & amoris attingit inferiorem virtutem amatiuam, quæ cõſiſtit in ſenſione nature ſenſitiuæ, oſtentans illuminatæ rationi largifluas operatiões ſuas, quas creatis vniuerſis exhibuit, ac præſertim creationem generis humani, cuius etiam, naturâ aſſumere dignatus eſt, & inaudita in illa mortalitate dignatiſſima pietate pati cõſtanter, & agere fideliter non deſtitit, ob amorem, ſalutem, redemptionem, & glorificationem noſtram. Specialiter autem reuocat ad memoriã omnia, quæ proflua pietate multifarijs modis egit circa propriam eius ſalutem. Cum igitur per illuminatam rationem ſic noſtram ſenſualitatem illuſtrat, in ſenſuali etiam affectione quendam calorem cauſat amoris, & deuotionis, per quem ipſa ſenſualitas fecunda redditur, ſic quòd in

Calor ſolis
vt designet
calore ſan-
cti Spiritus.

Calor Spiritus
ſancti vt
attingat in-
feriorem
virtutem a-
matiua.

ea crescat aurum cordialis amoris, argentum, id est, claritas inferioris rationis, omneque genus metallorum, id est, bonarum cogitationum, in quibus scilicet Deus est laudandus, glorificandus, amandus, & etiam considerationem, quomodo scilicet eius sensualitas, ad laudē, honorem, seruitium, & beneplacitum Dei sit ordināda. Omnia quoque genera lapidum pretiosorum, id est, virtutum moralium, quae proprium situm in sensualitate sortiuntur, quibus adornatur sensualitas, & habilitatur ad omne opus bonum. Sed hic calor cum fructibus suis in suam originem, vnde causatus est, redire contendit: in abyssum scilicet diuinæ bonitatis, & amoris, ipsam sensualitatem cum affectione sensibili, ac amore cordiali, flammigeraque deuotione secum trahens. Sanguinem in super cordis attractione sua vigorosa sursum ebullire cogit. Circa vitalia verò cordis grandem commotionē, & agitationem excitat, eò quòd moralis virtuositas ibidē in sanguine sitū suum possidet. Arterias autem, & venas à corde sursum intumescere facit, ac totum hominem per ebullitionem sanguinis igniri: sicque corpus, & anima pariter à Spiritu sancto sursum aguntur, calore causato tam in affectione intellectuali, quam sensuali, per amorosum illud obiectum infinitæ suæ bonitatis, & amoris, eidem luce clarius præstentur: per quod dilectæ suæ fiduciam quandam tribuit, quòd sit DEI sponsa, ad Deum diligendum, eiusque bonitatem degustandam, & in perpetuum perfruendam ab æterno præelecta. Et hæc fiducia læua sponsi dicitur, super quam se capite reclinatam sponsa commemorat, dicens: *Læua eius sub capite meo*. Hanc enim Spiritus sanctus eius capiti iugiter sua pietate supponit, ne si vel ad horam subtraxerit, in abyssum desperationis ipsa cadat. Sed sapor amoris & sensio prædulcis à Spiritu sancto per attractionem caloris sui causata, merito dextera cèseri debet: qua sponsam inexplicabili dignatione complectitur: quam licet sæpius, non semper tamen experiri meretur: ac per hoc in spe quadam & expectatione diuini complexus amorosa constituitur, dicens: *Et dextera illius complexabitur me*.

Nam multis de causis ille complexus interdum subtrahitur. Primo namque subtrahi solet ex amorosa quadam indignatione, quæ cōtingere solet inter amātes propter indicium amoris alteri cuiquā ostēsum, quo mutuus amor vel in minimo relaxari timet, eò quòd zelotypus est. Sic Spiritus sanctus animam sentiens quantulumcung; consolationē extraneā admisisse, sensationē suæ dulcedinis & amoris eidem sub-

Fructus caloris sancti Spiritus.

Cant. 2.

Gustū sensibilem Spiritus multiformem subtrahi.

subtrahit per iudicium illud, amorosam indignationē ostentās, vt ipsa
 se deliquisse cognoscat, corripiat, & caueat, ne (quod ablit) indignati-
 onem suam referuet, qui sine compare solus amari desiderat. Secundō
 verō subtrahit, vt anima dilecta recognoscat, hæc à semetipsa minimè
 habuisse, nec proprijs exercitijs meruisse, sed ex libera dilecti bonitate
 profuxisse: ne per incuriam, vel propriam complacētiam insolescat,
 sed magis semper se humiliare studeat. Tertio proinde subtrahit, eò
 quòd aliquādo natura sensualis ex effluencia sensuionis illius nimium de-
 bilitatur & vulneratur, præsertim circa pectus, vbi magis ebullire facit
 vitalem cordis sanguinem. Tūc enim calorē suum Spiritus sanctus re-
 trahit, vt natura refocilletur, & ad nouā sensuionē reabilitetur. Quar-
 tō autē se subtrahit, vt sic amorose animæ euidentius innotescat sua pro-
 pria tepiditas & acedia in exercitijs amoris, virtutū, & bonorū operū,
 si sensuionē suæ bonitatis & amoris eidem non elargiretur, & ad requi-
 rendam à dilecto gratiā & auxilium magis sollicita reddatur, quasi si-
 ne illius sensuione & consolatione, nec in amore, virtutibus, & exerci-
 tijs proficere, nec in acquisitis quidem persistere valeat. Quintō etiam
 se subtrahit, vt felix sponsa per experienciā proberetur, si iam ad tantam
 strenuitatem exercitiorum profecerit, quòd experimentalī consolati-
 one carere possit. Sextō denique se subtrahit, vt ipsa discat & agnos-
 scat, quòd in hac sensuione, nec est vera sanctitas, nec vera amoris iusti-
 tia: quia nec sanctiores sunt, nec magis diligunt, qui maiorem sensuio-
 nem secundum sensualitatem recipiunt: sed qui virtutem suam ama-
 riuam, in spiritu supra sensualitatem per amorem operantem diuinæ
 voluntati penitus subiectam, promptam & vnitam habent: ita quòd
 secundum diuinum beneplacitum pauperes esse sciunt omni terrena
 consolatione, tactu, sensuione, & sapore priuari: & in hoc solo posse con-
 solari, quòd Deum amat purissimè amore intellectuāli, qui solus amor
 verus est. Quòd, inquam, omnes virtutes & omnem iustitiam perfice-
 re norunt ad honorem Dei, nullam aliam sensuionem, vel oblectatiōnē
 querentes. Nam quantum hæc voluntaria paupertas accrescit, tantū
 & vera sanctitas & pura charitas inualescit. Et isti cum Paulo sciunt
 abundare & penuriam pati: quia cum Spiritus sanctus corpus & animā Phil. 4.
 perfluit amorosā sensuione & dulcissimo sapore, hoc ipsum tam effica-
 citer cum gratiarum actione recipiunt, tam prudenter ad Dei laudem
 & honorem, ac propriam vtilitatē expendunt, tam largè in amorem
 diuinum regerendo cōsumunt, ac si plenis præcordijs antea veluti suæ

FFFF saluti

saluti necessaria postulassent. In apice tamen Superioris affectus tanta tranquillitate recipiunt, omnia sancti Spiritus beneplacito comendantes, siue dare voluerit, siue retrahere, quasi nihil inde curates: quia pro nullius rei amissione quis dolere vel contristari solet, nisi quam prius vel desiderio, conquisitam, vel amore possessam letabatur. Quidam tamen non ab re in omnibus exercitijs hanc sensatione expo-
lant: quia sine illa se tepidos & acediosos in amore & operibus virtu-
olis sentiunt, licet etiam gradum perfectionis attigisse videantur. Et hoc ideo, quia nondum in spiritu & veritate Patrem adorare didice-
runt, quales duntaxat dicuntur à Domino veri adoratores. Deus, in-
quit, *Spiritus est, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare:*
quia tales adoratores querit Pater caelestis. Deum autem in spiritu ado-
rare, est eum honorare, & laudare cum intellectu spirituali admira-
tione suae infinitae dignationis & commendationis in omnibus obie-
ctis, quae comprehensibili modo nostris oculis intellectu alibus ostendunt
illam incomprehensibilem Dei laudabilitatem secundum omnem
perfectionem. Sed adorare in veritate, consistit in duobus. Primum est,
quod in adoratione Dei nullum obiectum sibi proponat, quod Deo non
conueniat: sicut qui in articulis fidei, vel aliqua secta noscuntur errasse,
qui Deum adorant in aliqua falsa phantasia, cui nulla veritas in Deo
corresponder. Secundum est, quod in adoratione rectam & puram in-
tentionem habeat, nec illud creaturis inhaerere permittat, quo potius
sine Deum adorare & honorare debuerat, scilicet, amorem suum. Nam
proprie eum amore Deus adoratur & honoratur. Et solus amor agit,
quod in adoratione sua quis intentione rectissima floreat in creatis
vel donis nihil requirens, non saporem, non consolationem, non dulce-
dinem, non sensationem, non bona temporalia, non aeterna: sed tantum
diuinum honorum & beneplacitum. Et talis adoratio rite celebrata, fru-
tuosior est & acceptior, quam varia & magnae sensationes amoris in sensuali-
tate causatae: quia fit in spiritu supra sensualitatem. Et ideo spiritus post-
quam sui compos fuerit, hanc adorationem semper exercere potest, eo
quod operatur sine corporali instrumento. Sensio vero consistit in na-
tura sensuali, quae multis calamitatibus inuaditur, dum eidem sensio sui
amoris subtrahitur: & sic tepidus & remissus nullum exercitium ad
Deum exhibere praevalet, quod totum exercitium in interiori sensatione
amoris fundauit. Et quia sensibilem saporem consuetus est experiri,
illo substracto, frequenter insequi cogitur saporem exteriorum, & consola-
tio-

Johan. 4.
Adorare
Deum in spi-
ritu quid.

Adorari
Deum in
veritate
habetur.

Sensio in
quibus con-
sistat.

rationem in creaturis, aut saltem oblatam gratanter accipit, vel ad minus non respuit, sicut Propheta Dauid, qui ait: *Renuit consolari anima mea.* &c. Et hac est vna causa potissima, cur tam pauci ad veram perfectionem perueniunt. Qui tamen hanc interiorum amoris sensationem humiliter susceperit, prudenter expenderit, & larga prodigalitate in laudem & honorem Dei consumpserit, multum per omnem modum vitam suam adornaret, tam exteriorum, quam interiorum tam inferiorum hominis partem, quam superiorum. Nec alias plenè Deum diligere poterit *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus:* nili per istam sensationem corpus & animam, ac omnes vires summum agentem. Facit enim hominem multum spiritualem, tenendo eum erectum stantem in ignea flamma deuotionis, & amoris coram presentia diuinæ maiestatis, laudantem Deum, & amantem *ex toto corde, & anima, & mente, & spiritu, totisq; viribus* secundum modum & possibilitatem viatoris.

Deut. 6.
Math. 22.
Marc. 12.
Lucæ 10.

De tractu Filij Dei. Cap. XX.

Quemadmodum Spiritus sanctus solita bonitate virtutem attrahit amatiuam, obijciens illi dulcissimum obiectum infinitæ bonitatis & amoris in Trinitate personarum sibi appropriatum: sic & Filius ad se intellectiuam virtutem attrahit, eidem obiecto quodam incomprehensibili demonstrans perfectam imaginem diuinæ perfectionis, qui est ipsemet Filius Dei, proutinus exiges ab anima, vt sese per donum sapientia penitus assimilare conetur, dicens illud Exodi: *Inspice,* Exod. 29. & *fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte,* id est, in eleuatione intellectiuæ virtutis. Vnde Christus ait ad discipulos suos: *Estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* Nec tam Patrem ostendere voluit, præterquam in sua perfecta imagine, hoc est, in semetipso. Vnde Philippo petenti: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,* concito respondit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* scilicet secundum diuinitatem per fidem, quæ diuinitas in eius operibus relucebat. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Et *ne- mo venit ad Patrem, scilicet videndum, nisi per me.* Quia incomprehensibilis illa diuina essentia fruibiliber aspici non potest, nisi per lucem, quæ Christus est. De quo Iohannes ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Hinc etiã Christus se dicit *ostium,* per quod nos intrare oporteat. Et hoc non solum secundum humanitatem, sed etiã secundum diuinitatem. At verò, cum Pater origo sit & principium omnium creaturarum,

Exod. 29.
Heb. 8.

Math. 5.

Iohan. 14.

Iohan. 1.
Iohan. 10.

utpote qui cunctas creavit per Filium, ideo omnes creaturæ intellectu-
ales, rationales, aliæque vniuersæ, ad Patrem velut originem & cau-
sam primam inclinantur, illique naturaliter assimilari & vniri desi-
derant secundum vniuscuiusque capacitatem & aptitudinem. Hinc
omnes appetitu naturali cum Philippo clamare non cessant: *Domi-
ne, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Veruntamen Pater omnibus
creaturis rationabilibus secundum earum rationalem intellectum, est
magis inaccessibilis, quam Filius & Spiritus sanctus: quia principium
est & origo omnium aliarum personarum, non habens ipse principi-
um vel originem. Nec ab aliquo mittitur aut datur hominibus per
gratiam & dona: sed mittit & spirat Filium & Spiritum sanctum, id
est, sapientiam & amorem, ad eum cognoscendum & amandum. Hinc
ad Patrem loquens Sapiens, ait: *Sensum autem tuum quis sciet, id est,*
*quis habebit notitiam tui, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiri-
tum sanctum tuum de altissimis?* Sapientia itaque Patris, est Verbum
eius, quo ad se & omnia perfecte loquitur. Nam hoc Verbum est ob-
iectum intellectus sui, in quo solo sese plenissime cognoscit & intelli-
git: quia nullus intellectus intellectualiter intelligere potest seipsum
vel aliquid aliud sine obiecto intellectuali. Pater igitur ex natura sua,
est quædam æterna diuina intelligentia, seipsam sine intermissione
secundum essentia suæ & naturæ totalitatem perfecte intelligens: quod
vtique fieri necessarium est in obiecto quodam deiformi secundum
suam totalitatem paternæ naturæ perfectissime simulanti, propter quâ
similitudine dicitur imago Patris. Sed quoniam obiectum est intel-
ligentiæ paternalis, ideo dicitur esse Verbum, Patris: quia sicut os cor-
porale hominis humanam habet locutionem & verbum, sicut etiam in-
telligentia suam habet loquelam, hoc est, actualement suam intelligen-
tiam, & suum actuale internum obiectum, est eius verbum. Et hoc veri-
ficatur in omni intelligentia tam humana, quàm Angelica ac diuina. Sed
quoniam intelligentia paternalis, est ipsamet natura diuina secundum po-
torem suam nobilitatem, ideo paternalis intelligentia, qua scilicet in
obiecto suo perfecto & deiformi seipsum intelligit, quædam est opera-
tio diuinæ naturæ: quare non immerito obiectum illud paternale Fi-
lius Patris dicitur: quia sicut in viuifitate naturæ pater terrenus filij
sui principium est & origo, sicut etiam intelligentia diuina paternæ naturæ,
principium est & origo illius obiecti, in quo sese intelligit. Cæterum, ob-
iectum illud intellectui paterno coæternum est, eo quod Pater æternus nū-
quam

quam esse poterit sine intellectuali agnitione & intelligentia sui ipsius. Deniq; obiectum illud per omnem modum est æquale Patri: aliàs enim nequaquam sese Pater perfecte cognosceret in obiecto. Nec solùm obiectum illud, est de eadem natura qua & Pater, id est, qua & diuina intelligentia, sed est eadem natura: quoniam illud obiectum deiforme paternalis intelligentiæ, semper introspiciens est & immanens in intelligentia paternali, per fecunditatem intellectiue naturæ Dei: ac semper actualiter intelligens est per continuum, æternum, actualem intellectum paternalis intelligentiæ: quæ scilicet intelligentia est eadem & vna natura cum illa, quam inspicit vel intelligit, quoniam in Deo tantum vna est simplicissima natura. Nunc autem inspicens est naturam & essentiam Patris, eò quòd in Patre nihil est, quàm eius essentia & natura. Et ideo eandem Patris essentiam & naturam plenissimè intelligit.

Præterea, deiforme obiectum intelligentiæ paternæ, semper est Filius. antestans in quadam alteritate, sicuti paternæ perfectionis imago quædam perfectissima: & sicuti prolatum intelligentiæ paternæ Verbum, & Filius, fructusque fecunditatis paternæ naturæ. Quæ nimirum alteritas personalitatem causat Filij, subsistentis in eadem diuina natura, in qua & Patris persona subsistit. Ex quo concluditur, quòd Filius in omni perfectione diuina perfectus Deus est sicut, & Pater, licet fecunditatem paternitatis non attingit. Nam Filius est à Patre, sicut imago viuida à suo exemplari: sicut intellectuale verbum ab intelligentia paternæ sine intermissione prolatum: & sicut æternus fructus diuini paternæ fecunditatis. Pater autem à nullo est, nec à Filio quicquam est secundum modum istius fecunditatis: quia Filius se videt, modoque personali sibi complacet in Patre, sicut imago in suo exemplari, sicut verbum prolatum in intelligentia proferente, sicut fructus viuidus in sua viuida & fecunda natura. Et sic Pater personalitate paternæ vice versa sese videt in Filio. Unde congruè dicit Ioannes: *In principio*, id est, in fecunditate paternalis intelligentiæ, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, scilicet in alteritate personali: *& Verbum erat Deus*, id est, vnius essentiæ & naturæ cum Deo Patre: Ex quibus in parte patet, quomodo Filius est imago perfecta Patris æternum que perfectum Verbum prolatum, ac genita Sapientia Patris, in qua se videt, & omnia creata, vel causata, aut certè possibilia fieri secundum immensitatem suæ sapientiæ & maiesta-

- maiestatis, sicut artifex industrius in arte sua videt ea, quae didicit operari. Vnde etiam dicit Augustinus, quod Filius est ars ipsius Patris, *per quam omnia facta sunt*: quia secundum Ioannem: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est*, scilicet per hunc Filium vel artem, *in ipso vita erat*. Augustinus super Ioannem: Facta est terra, sed ipsa non est vita. Est autem in ipsa sapientia Dei spiritualiter facta ratio quaedam, & haec est vita: sicut arca in omni opere non est vita: arca tamen in arte est vita, quia vivit in anima artificis. Proinde omnia erant in ipso causaliter subsistentia, antequam in semetipsis effectiue fierent. Si quaeris qualiter omnia, quae per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, vniiformiter, & causaliter subsistunt: conspice quomodo rerum omnium huius mundi causae simul & vniiformiter in Sole subsistunt: quomodo numerositas herbarum & fructuum in singulis seminibus simul continetur: qualiter, inquam, regulae multiplices in arte artificis vnum sunt, & in animo disponentis viuunt: ac qualiter infinitus linearum numerus in vno puncto vnum subsistunt. Ex quibus velut pennae philosophicae theoriae arcana Verbi mentis acie poteris inspicere, & quantum datur humanis rationibus cernere, quomodo cuncta, quae per Verbum facta sunt, in ipso viuunt & subsistunt. Et sic *quod factum est, in ipso vita erat*. Et *vita erat lux*, scilicet intellectualis hominum, qua scilicet illuminantur homines, non pecora, quae rationales mentes non habent, quibus sapientiam videre possent. Quam lucem petebat Psalmista, dicens: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, id est Christum, qui est lux mundi, & veritas Patris. *Ipsa, scilicet lux & veritas, me deduxerunt à peccatis, & adduxerunt in montem sanctum tuum*, id est, in perfectionem virtutum in actiua vita: *& in tabernaculo tua*, per sedulam contemplationem. Sed *emittit* denuo, vt me educant, adducant, perducant, & inducant in vitam superessentialem, ac *in lumine tuo videamus lumen*: quia *nemo venit ad Patrem contemplandum, nisi per te, & in lumine tuo*. Sed ad incepta redeamus.

Ceterum, cum Filius non solum imago Patris esse dinoscatur, sed etiam exemplar vnicum omnium creaturarum, ideo creatura rationali magis est accessibilis & agnoscibilis quam Pater: non tamen in essentia sua diuina, sed secundum intellectuales imagines in similitudinibus imperfectis, sicut in hac vita Dei veritatem agnoscere poterimus. Ad maiorem denique notitiam simplicibus imprimendam, Filium

sum suum Pater misit in terram imagine nostræ humanitatis indu-
 tum, ut per hanc imaginem cognitam ad agnitionem devenirent in-
 cognita suæ divinæ imaginis, qua tandem occultissimæ paternitatis
 agnitionem attingerent. Unde Philippo Dominus proxime respon-
 dit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui vi-*
det me, videt & Patrem meum. Quasi diceret: Pater in sua personali-
 tate occultus & inaccessibilis est, quia secundum Joannem: *Deum ne-*
mo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris. Et iterum
 apud Mattheum: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis no-*
vit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: sicut verbum prolatum,
 intelligentiam proferentem manifestat. *Qui, inquam, videt me, videt*
& Patrem: quia etiam secundum humanitatem imago fuit suæ divi-
 nitatis. *Candor est enim lucis æterna, & speculum sine macula Dei matre-*
statæ, & imago bonitatis illius. Qui ergo Patrem videre desiderat, Fi-
 lium inspiciat, & sese eidem assimilet secundum perfectionem vitæ,
 quam in humanitate nobis ostendit, ac per affectum inflammatum,
 cetera cuncta respuendo, ad illius amplexum anhelet, quia sic Chris-
 tus in se fuerit exaltatus, omnia, id est, totum hominem trahet ad se-
 ipsum, id est, ad suam similitudinem per amorosum obiectum divinæ
 sapientia: Cum enim oculus noster intellectualis eleuatus fuerit vs-
 que ad nudam & patulam cogitationem coram incomprehensibili
 sapientia Dei, tunc eidem per sapientia donum multiplices imagines
 spirituales divinæ perfectionis imprimuntur, ita quod secundum om-
 nem perfectionem, in speculo lucidissimo perfectam vitam agno-
 scendo considerat: quia divina sapientia oculis intellectualibus sese
 velut imaginem perfectam & viuendam divinæ perfectionis ostendit.
 Porro sapientia donum non solum lux est, virtutem intellectuam
 agnitione divina clarificans, sed etiam ignis est, intellectuam affe-
 ctionem, id est, superiorem virtutem amatiuam, in amorem accen-
 dens, ad possidendum illam perfectionem. Et hoc habet donum sapi-
 entia supra donum intellectus, quod solum illuminat. Cæterum, sicut
 ignis omne combustibile primo liccans & habilitans, tandem in pro-
 priam similitudinem, id est, igneam qualitatem conuertit: sic Filius
 Dei per obiectum & sapientia donum, animam ad suam similitudi-
 nem habilitat, eidem intelligere dans modis multifarijs in obiecto sue
 sapientia, divinam perfectionem per lumen doni sapientia: quo-
 niam, ut dicit Sapiens: *In sapientia est spiritus intelligentia sanctus, im-*

775
 Verbum vñ
 humanam
 naturam
 assumpse-
 rit.

Ioan. 14.

Matth. 11.

Sapient. 7.

Ioan. 12.

Sapientia vñ
 sit lux.

cus, multiplex, subtilis, modestus, discretus, mobilis, incoquinatus, suavis, amans bonum, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, verus securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus intelligibiles.

Animā trahi ab aeterna sapientia.

Cum igitur anima per clarum intellectum diuinæ perfectionis & agnitionem virtutis & veritatis habitata est, tunc eam diuina sapientia trahit ad suam similitudinem per internam vnctionem & inflammationem ipsius doni sapientiæ in affectionem & amorem proficendi & comprehendendi perfectionem, à diuina sapientia sibi propositam. Nam in speculo diuinæ sapientiæ quandam videt imaginem totius sanctitatis & perfectionis, cui supra omnia se virtutibus & sanctitate similem exhibere desiderat. Et sicut industrius artifex imaginem exarare deliberans secundum exemplar appositum, tam diu superflua & nodosa præcidere nititur, donec ipsius exemplaris perfectam similitudinem sortiatur: (quæ similitudo secundum potentiam in ligno prius occulta tenebatur:) sic anima per tractum diuinæ sapientiæ, tam insatiabile desiderium percipit attingendi secundum modum suam similitudinem diuinæ perfectionis, quod cum arguosa diligentia, omnem dissimilitudinem abscondere studet, vt in se diuinæ perfectionis similitudinem recipiat: quam Deus in eius possibilitate creauit, & in speculo suæ sapientiæ proposuit, illud ostendens velut exemplar perfectissimum, ad cuius similitudinem omnia sunt reducenda. Ad hoc enim hominem creauit, vt Deo suo similis esset in virtutibus & sanctitate. Creauit etiam in eo similitudinis huius possibilitatem, ac oculo eius exteriori perfectissimum exemplar proposuit, scilicet, in humana natura æternam suam imaginem, & oculo eius intellectuali suæ sapientiæ Deiformem imaginem: in qua velut in speculo totius perfectionis exemplar prospicere potest. Dedit insuper gratiam suam & dona Spiritus sancti, velut instrumenta quædam satis congrua ad producendum potentiam illam in actum, secundum mensuram suæ industriae cooperationis. Et hæc omnia, potentiam scilicet, exemplar, & instrumenta, quantum in se est, voluit omnibus esse communia, ne quis friuolam præterdat excusationem. Nam minima Dei gratia gratum faciens, quam omnibus sese coaptantibus conferre paratus est, industria nostræ diligentia iufficeret ad rescindendam omnem dissimilitudinem, vt verificetur illud Ioannis: *Dedit eis potestatem filios Dei*

Ioan. 1.

Dei

Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Denique, ad quamcumque diuinam similitudinem se quis peruenisse gloriatur, nunquam tamen cesset rescindere, & ad omnimodam similitudinem reducere: quia diuina perfectio, cui se conformare laborat, sine mensura est. Potentia quoque similitudinem illam attingendi hominibus præstita, semper insatiabilis permanet in hac vita: quia cum incremento similitudinis gratia Dei, per quam similitior effici potest, semper accrescit. Et quoniam adhuc mortalis semper mobilis & mutabilis est, ideo per vices accrescit ad similitudinem, & decrescit ad dissimilitudinem: quæ duo semper inter se militant. Ut ergo victoriam similitudo semper obtineat, & dissimilitudo sedulè iugiterque rescindatur, exemplar sibi datum & propostum semper inspiciat diligentissimè, tam secundum humanitatem, quam secundum diuinitatem: ut eius imagini deiformi se per omnia conformet, & cum Sapiente dicat: *Hanc amauit, & exquisiuit à iuuentute mea, & quesieui eam sponsam mihi assumere: & amator factus sum forme illius: doctrix est enim disciplinae Dei, & electrix operum illius.*

De tractu celestis Patris. Cap. XXI.

Ut autem totam Trinitatem, suam imaginem in anima creatam & impressam trahere doceamus, sciendum est, quòd sicut Spiritus sanctus trahit virtutem amatiuam, & Filius virtutem intellectiuam, sic & Pater amorosè trahit virtutem memoratiuam, notandam scilicet animæ cogitationem: & in his tribus imago perficitur Trinitatis. Hic ergo primò notandum est, quòd (sicut iam dictum est) Filius Dei est Verbum prolatum paternæ intelligentiæ. Hic verò cogitationem ipsam assimilare conabimur Patri, & intelligentiam in anima, ipsi tribuere. Et hoc ideo, quia Trinitatis imago in his tribus animæ viribus accipitur secundum substantiam imaginis, licet specialiter illius imaginis similitudo considerari potest in tribus animæ viribus secundum earum perfectionem: hoc est, sicut in operatione vnicuique appropriata subsistunt. Quamuis enim summa nobilitas imaginis in hoc consistat, quòd ad exemplar illud æternum operatione vnicuique virium appropriata conuertatur: similitudo tamen illius imaginis ad exemplar suum magis propinqua relucet, cum vires, in quibus imago consistit, cum operationibus eisdem appropriatis, supra propriam personam vnicuique appropriatam, eius vires existunt, indeclinabiliter reflectuntur. Quia paterna in-

Ggggg telli

telligentia semper sese secundum sui totalitatem prosequitur cum Verbo aeterno: quod ideo Filius Dei dicitur, quia genitum est per naturalem operationem intellectus naturae divinae: quod quia semper profertur, semper & gignitur. Ceterum, divina voluntas semper est volens, amans, & sibi complacens. Pater in Filio, & Filius in Patre: & ubi mutuis amorum amor effluit in mutuum amoris complexum, velut ex quodam principio in quadam alteritate stans à Patre & Filio, ubi est Spiritus sanctus in unitate quidem naturae, sed in alteritate personae.

Animam
trahit
à Patre
aeterno.

Iohan. 6.

Sed ut intentum prosequamur, notandum est, quod Pater aeternus fidelem animam per nudam cogitationem dupliciter trahit ad suam simplicissimam unitatem. Primò, trahit eam prae ceteris personis per fidem: quia nunquam traheretur à Filio vel Spiritu sancto, nisi prius crederet esse Filium & Spiritum sanctum. Hinc Christus ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum.* In hoc ergo tractu oculo simplici trahitur anima ad suum principium, unde in sua creatione originata est: & ad suum finem, ad quem desiderio propriae salutis semper inclinatur. Et quia Pater est principium omnis creaturae, ideo merito tractum hunc caelesti Patri adscribere voluit. Licet enim, ut dictum est, secundum intellectualem comprehensionem Pater est magis inaccessibleis & incognoscibilis nobis in hac vita: tamen secundum simplicem primariam fidei visionem, est magis accessibilis & cognoscibilis: sicut in omnibus operibus & inquisitionibus animae, causa finalis primò secundum simplicem intentionis inquitum inuenitur & agnoscitur, sed secundum inquisitionem rationalem & comprehensibilem considerationem intellectualem prius inueniuntur & agnoscuntur ea, quae ducunt ad finem. Secundus verò tractus Patris est ultimus in Trinitate, quo trahitur anima ad luminosam agnitionem divinae veritatis. Nam licet anima dulciter à calore Spiritus sancti trahatur, in omnifariam considerationem divinae bonitatis, & à Filio per obiectam imaginem divinae perfectionis, & ad eius similitudinem capescendam, necdum tamen in his anima contenta, deuotis clamitat. suspirijs, & ait: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis:* cum ipse sit originale principium omnium desideriorum nostrorum quietatiuum. Tunc illam sapientia Patris instruit, quomodo paternam visionem attingere valeat, dicens: *Beati mundi corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Ex quo intelligit

Iohan. 14.

Matth. 5.

ani.

anima cor suum, id est, nudam suam intellectualem cogitationem esse purificandam, ut Deum Patrem videre mereatur: quæ cogitatio nuda conuenienter etiam oculus animæ dicitur, quia Pater cælestis corde videtur, non in sua nuda diuina essentia in hac vita, sed in quadam pariformi diuina imagine nostræ cogitationi incomprehensibili modo præsentata. Tunc anima fidelis cogitationem suam ab omnibus imaginibus intellectualibus, quibus modo comprehensibili satis fructuose in tractu Filij, & Spiritus sancti vsa est, penitus euacuat: & sic munda iudicatur, & apta ad videndum Patrem cælestem. Quia sicut natura in rebus materialibus nihil vacuum esse patitur, sic Pater in cogitatione iam nudata penitus, & mundata, vacuitatem esse non finit. Et ideo *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Est tamen nonnulla differentia inter vacuitatem materiale & spirituale, quia materialis vacuitas ad se trahit, sed spiritualis ab alio feliciter trahitur: eò quod vniuersa Dei dona trahunt hominem & eleuant ad vitam, & similitudinem diuinam, si sese à peccatis, & dissimilitudinibus euacuare studuerit. Hic ergo trahit Pater euacuatam cogitationem super omnes imagines comprehensibiles, puro ac simplici oculo eius ostentans illam simplicem incomprehensibilem imaginem diuinæ essentia, veluti principium, & causam omnium, quæ sumperunt originem in tempore & aternitate, velut, inquam, subsistentiam quandam conseruatiuam omnium, quæ conseruari necessario indigent in tempore, vel aternitate: veluti denique finem beatificum omnium, quæ beatificari desiderant.

Per hoc igitur obiectum omni deuotione recolendum, amorofo sui conuitu Pater cælestis animam trahit, & tranquilla pace complectitur, dicens: *Hæc est filia mea dilecta, in qua mihi bene complacuit.* *Veni dilecta mea, & ponam in te thronum meum, quoniam in te complacui.* *Hæc requies mea in seculum seculi: hæc habitabo, quoniam elegi eam.* Cui illa: *Ego dilecto meo, & ad me conuerso eras.* Veruntamen Domine, *bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula memoriam vnum, intelligentiam vnam, & voluntati vnum.* Conuocansque vires suas vniuersas, *Venite, inquit, omnes, qui laboratis, & onerati estis sanctis exercitijs, in istis operibus, affectibus pijs, & Pater cælestis reficiet vos pace dulcissima, tranquillitate beatifica, & quiete fructiva.* Nam in illo simplici conuitu, vbi scilicet anima nuda, ac patula cogitatione, simplicem & incomprehen-

Matth. 5.
Vacuitas
spiritualis
ve distet à
materiali.

Matth. 17.

Psalm. 131.

Matth. 17.

Cantic. 7.

Matth. 11.

Ggggg 2 sibi

Psalm. 4.

Huc. 10.

sibilem imaginem paternalis essentiae aspicit; incomprehensibili tamen modo, saltem suo intellectui, ibi tam saporosam quietem, & tranquillam pacem experientia felicissima inuenit; & in ea uberrate tam profusa se fatiat, quod super omnia dulcem illum intuitum exercere, ac illi iugiter inhaerere desiderat. Unde etiam quicquid huius beatificum visum impedire, retardare, vel obscurare quoquo modo deprehenderit, omni diligentia fugere & euitare satagit, dicens cum Psalmista: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Ceterum, ex huius exercitij quietissimi continua inhabitatione, sic anima fidelis in hoc intuitu habilitatur, & quodammodo essentiat, quod per eundem intuitum in omnibus operibus, ac multiplicatibus immobiliter cum caelesti Patre permanet in illa pacifica tranquillaque habitatione simplicis suae cogitationis. Nec quidem distrahi, vel turbari potest huiusmodi, quamdiu intuitus ille beatificus nec ablati fuerit, nec obfuscatus: sed propter passiones, & sensualitatis deordinationes, oculus eius obnubilationem aliquando patitur, plus vel minus saepius, vel rarius, secundum mensuram mortificationis, & supplantationis ipsius sensualitatis. Ideo beatus ille seruus, qui sic omnes passiones suas felici victoria suppediitauerit, quod oculus eius simplex rarissime, vel tenuem turbationem, aut obnubilationem sustinens, frequenter optatam tranquillamque pacem insilenti habitatione cogitationis suae felicissime continuat. Denique tractus iste Patris caelestis, propter suam saporosam quietem, & dulcem tranquillitatem, multos otiosos efficit, ad pedes Iesu cum Maria sedere, & vacare quaritantes, & hanc sicut *optimam partem* eligentes, omnem exteriorem occupationem euitantes, eo quod per simplicem intuitum, tranquillam inhabitationem paternae quietis, & pacis impræpediti, & inoffensi, possidere desiderant: diligenter tamen caueant, ne plus quam expediat, sese quarere conuincantur. Ne, inquam, plus diligant, & intendant saporem, sensationem, oblectationem spiritualem, & otiosam quietem, tranquillamque pacem, quam Patris caelestis salutiferam inhabitationem. Et ideo securius esset huiusmodi, quod sese in hoc simplici intuitu per indefessam exercitationem habilitarent, & essentarent, ut in omnibus fructuosis operibus, & occupationibus salutiferis, quietam illam inhabitationem per simplicem illum intuitum conseruare, & possidere valerent, & practice semper ad volitum impræpediti, ad talia perficienda accedere, vel

dimit-

dimittenda abscedere, semperque liberè, & expedite, vel ingredi ad contemplationem; vel egredi ad actionem, cogitatione nuda in sua semper in habitatione quietissima persistente. Sicut miram tuam imaginem in anima creatam Trinitas sanctissima sua profusa pietate trahere non cessat, Pater memoriam, seu nudam cogitationem; Filius intelligentiam, Spiritus sanctus voluntatem, seu virtutem amatiuam superiorem. Et in his tribus anime viribus in operationibus singulis appropriatis persistentibus, specialiter imago sanctissimæ Trinitatis in sua suprema, & perfecta similitudine consistit.

Præterea, ad maiorem euidentiã paternalis attractionis, qua simplicem nostrum intuitum subleat, & habilitat ad videndum simplicem, & incomprehensibilem imaginem essentia paternalis, sciendum est, quòd distinguuntur tres gradus agnoscendi vel videndi diuinam veritatem: quorum duo reperiuntur in statu viatoris, tertius in statu comprehensoris: & horum differentiam similitudinariè considerare possumus in exteriori visu corporalium oculorum.

Gradus tres:
videndi ve-
ritatem di-
uinam.

Primus gradus est, cum oculus corporalis cernit aliquam rem retro positam in opposito speculo, quando scilicet res retro posita suam imaginem immitit ipsi speculo, speculum verò reflectit eandem imaginem in oculum corporalem ipsius cernentis, per cuius reflexionem retro se posita quis cernere potest. Et huic visioni conuenienter assimilatur agnitio, qua Deus agnoscitur per imagines, & similitudines, quæ per rationalem considerationem recipiuntur, & eliciuntur ex creaturis, qualem agnitionem philosophi gentiles adinuerunt, & omnibus Christi fidelibus adhuc communis est: qui per lumen fidei ex auditis, vel lectis, aut rationali consideratione indagatis, ad Dei notitiam perueniunt. Et ad hanc notitiam, seu agnitionem deseruiunt omnes figura, & parabola in Scripturis posita.

Secundus verò gradus visus corporalis est, cum oculus corporalis cernit aliquam rem non in se, sed in imagine, & similitudine vera presentatam. Et huic visui congruenter assimilatur agnitio, qua Deus agnoscitur per imagines, & deiformes similitudines, quas ipsa cogitatio nuda sine medio suscipit ex presentia illius abyssalis, & superintellectualis incomprehensibilitatis Dei secundum vniuersi iusque perfectionem. Sed in hac similitudine reperitur quædam dissimilitudo, quia licet utraq; visiones tantum per imagines contingunt, quæ non sunt ipse res, quas videre desiderant, oculus tamen corporalis per ima-

Ggggg 3 ginem.

ginem suam, perfectam agnitionem adipisci potest rei illius in imagine sibi praesentata: sed oculus intellectualis nullam imaginem recipere valet, ex qua perfectam Dei agnitionem attingere queat: praesertim quoniam omnes imagines intellectuales naturam ipsius intellectus humani sortiuntur. Cum igitur intellectus noster creatus sit, & quadam firmitate mensuratus, hinc etiam imagines omnes intellectuales in statu viae creatas, & mensuratas esse oportet. Deus autem increatus, & immensus est, & ideo perfecta Dei cognitio nullis imaginibus intellectualibus acquiri potest. Si tamen agnitionem aliquam, vel tenuem adipisci volumus, has imagines in huius obsequium frequentare necessarium est, ut de Deo, secundum Gregorium, velut balbutiendo loqui valeamus. Vnde per imaginem diuinae incomprehensibilitatis, quae scilicet ipsi cogitationi nuda obijcitur, Deus perfecte non agnoscitur, quia nec Deus est, nec perfecta Dei imago, quia tunc nostrae creatae cogitationi inaccessibleis non esset, sed est quadam similitudo gloriosae, & diuinae incomprehensibilitatis. Tertius autem gradus est, cum oculus corporalis omnibus imaginibus semotis, aliquam rem cernit realiter in seipsa, & cum seipsa non in imaginibus, vel similitudinibus, sicut in duobus praecedentibus. Et hoc modo nullam creaturam quis videre potest, nisi tantum lucem exteriorem, quae videtur cum seipsa, sed alia cuncta mediante luce: ita quod cum seipsa sese, & omnia alia manifestat. Nec tamen semper, sed eo duntaxat tempore, cum speculum ipsius oculi cum semetipsa informat, & illuminat. Nam cum oculus in tenebris est, nec lumine lucis clarificatus, tunc videt quidem lucem, sed non eum seipsa, quoniam illuminatus non est: sed videt per imaginem lucis, quam recipit ex praesentia lucis. Et iste gradus corporalis virtus apte similitur excellentissimae, & gloriosae visioni gloriae. Vbi nudam gloriosam diuinam essentiam in seipsa, & cum seipsa merebimur intueri: hoc est in sua gloriosa propria forma sine medio quacumque similitudinum, vel imaginum: quia seipsam dignatissima largitate gloriosis ostendit intelligentiis, per gloriae lumen ad hoc habitatis, velut obiectum quoddam gloriosiforme: & quod magis est, virtuti nostrae intellectivae sese incomprehensibili dignatione penitus inseparabiliter vnire: veluti quadam gloriosa diuina forma suae habitatae materiae ad videndum sine medio seipsam, quia sine lumine deiformi Deum videre non possumus. Nunc autem quoniam oculus noster intellectualis in caligine mortalis vitae detinetur, ad visionem gloriosam nondum

non duntaxat habitatus, ideo gloriosam lucem essentia diuina sine similitudinibus capere non valet. Omnes autem similitudines, quas intellectus recipere potest, à diuina perfectione infinite sine mensura deficiunt: & idcirco Deum in hac vita imperfectè cognoscere cogitur, clamans cum Tobia: *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lucem cali non video?* Cui Angelus: *Forti, inquit, animo esto, in proximo est ut cureris.* Interim verò ingeminare potest illud sponsæ, dicens: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Dum scilicet Spiritus sanctus virtutem attrahit amatiuam in puritatem amoris, ac Filius amorem deducit in claritatem intellectus, ut discat non solum gustare, sed & videre. Sicque feliciter intellectus, & affectus simul coambulant, vsque ad nouissimum intellectus: dehinc inflammatum affectum Pater celestis suscipit, & suffollit vsque in ipsam nuditatem cogitationis. Vbi lux quædam intellectualis effulget, quam nec sensus, nec ratio, nec natura, nec consideratio capere valet, quia claritas immensa lucis illius reuerberat & caligare facit oculos rationales. Supra rationem verò simplex oculus noster in apice intelligentiæ solus manet apertus, contemplanus & spectans hanc lucem irreuerberatus. Hæc autem lux nobilior est, & superior omnibus in natura creatis, quia naturæ perfectio est, & clarificatum medium inter nos & Deum, libertatem nobis ad Deum tribuens, & audaciam. Nostra verò simplex nuda cogitatio viuendum speculum est, in quo lux ista reuertet, à nobis conformitatem, & unionem cum Deo requirens. In hoc enim viuido speculo viuunt Deus in nobis cum donis suis & gratia. Nos autem in eo viuimus per virtutes, & opera bona.

De consurrexione nobilissima, quæ dicitur mystica, & ignota. Cap. XXII.

O Si iam occultissimam, & diuinissimam hanc sapientiam prosequentes, eius modum, & seriem ordinemque diligentius indagare possemus, quam diuinus Dionys. ad Tim. scribens, lucidè satis explicat, dicens: Tu autè Timothee amice circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia, & etiam existentia, & non existentia: & sicut est possibile ignote consurge ad eius vnitionem, qui est super omnem substantiam, & cognitionem. Etenim excessu tui ipsius ab omni irretensibili, & absoluto mundè ad supersubstantialè diuinam

rum tenebrarum radium sursum ageris. Vide autem ut nullus indoctorum ista audiat. In quibus verbis suprema sapientia includitur, & culmen totius perfectionis, ut est in via possibile, totaque profunditas librorum beati Dionysij: quibus perfecte cognitis, quicquid est super intellectum in libris eius, ad intelligendum leuius efficitur. In his igitur verbis primò ponitur, quid amouendum sit: secundò, quomodo confurgendum, cum dicit: Tu autem Timothee amice, circa Mysticas visiones. Mysticas autem visiones in omni Philosophia sua Dionysius appellat eas, quae transcendunt omnis entis considerationes, quando scilicet vis intellectiva cognoscit ex affectu precedente, & non è conuerso. Et illa est verissima cognitio ab omni errore & deceptione penitus aliena. Vnde meritò mystica cognitio vocatur, id est, occulta & secreta, tum quia pauci ad ipsam recipiendam se disponunt, tum quia occultè consistit in corde, ut nec stylo, nec verbo plenè valeat enodari: in qua cognitione affectus dominatur. Et ideo profectur quae debeant derelinqui, dicens: Forti contritione sensus derelinque, & intellectuales operationes, &c. Cum enim hæc apprehensio desuper est, & non de subtrus, sensus extirpari iubetur. Nec solum sensus exterior, sed etiam interior, quia nec sub ratione dulcis, odorabilis, pulchri, melodiosi, vel suavis Deus apprehenditur (cum hæc omnia præuia apprehensione rationis* dirigantur:) sed hæc vnitiua apprehensio sit supra intellectum, & rationem. Porro sensus omnes habent inclinationem quandam naturalem ad suas operationes, quam difficillimum est refranare. Cumque sensus & intellectus exeunt circa obiecta exteriora ad suas operationes, tunc anima exit cum illis, & diffunditur circa eadem obiecta: & sic incuruatur sub semetipsa, nec valet ascendere supra seipsam. Et ideo forti contritione, & exercitio comprimendæ, & claudendæ sunt fenestra omnium sensuum, ut anima in se recollecta, valeat ad Deum in se supra semetipsam confurgere. Ad quem anima mouebitur ardentissime, quoties voluerit, postquam ab omnibus peccatis, desiderijs, curis, creaturis, & imaginibus, quæ ipsam ligatam tenebant, liberata fuerit, & depurata. Oportet ergo speculatum discipulum alibi haurire sapientiam istam, quàm in his, quæ respiciunt apprehensiones speculatiuæ cognitionis. Et in hoc apparet huius sapientie mira nobilitas, & dignitas amplectenda. Ideo namque Dionysius eam diuinissimam vocat, quia felicem animam à semetipsa exire, & seipsam expoliare quodammodo necesse est, & affectu sequi

Cognitio
mystica
quæ.

L
Quænam
debeant re-
linqui.

* Aliàs di-
ligantur.

plationem, vel considerationem vniuersam in suis motibus derelinquit, si ad suum vnicum intelligibile, vel diligibile supra seipsam aspirans intra semetipsam contemplationem sumit, sic nō est supra mentem, sed infra. Et ideo licet respectu existentium sit nobilis contemplatio, dimitti tamen praecipitur, cum sit ibidem incuruatio quaedam, vel perceptio naturalis. Et sic per hanc relativam contemplationē omnimodam humanam apprehensionem non relinquit, nec omnino velut

Modus procedendi in humanis ad diuina quis.

Non existētia quae sent.

Lucæ 10.
Genes. 29.

Esther 2.

II.
Modus in Deum con-
surgendi.

per alium mens supra limites naturales collocatur. Quamobrem, ordinatissimus procedendi modus in humanis ad diuina reperitur, cum mens supra se prouecta mouetur in Deum immediatē, velut in centrū suum, sine omni commixtione, vel intermissione alicuius creaturę superioris, vel inferioris. Deniq; non existētia hęc appellantur ea, de quibus nihil exemplatum in creaturis reperitur, sicut omnis consideratio de summa Trinitate, & ordine personarum, quoniam illud exemplatiuē in creaturis nunquam apparet, quōd aliquis aliquem generet, qui sit idem quod ipse qui genuit, quorum quilibet sit verē existēs substantia: aut quōd amor, id est Spiritus sanctus connectens sit æqualis, & existens substantia cum ipsis amātibus. Talis igitur contemplatio, quamuis inter speculatiuas excellentissima iudicetur, tamen derelinqui iubetur, non quia bona non sit, & nobilis, sed quia superior apprehensio quaedam est in mente humana, quę praesertim hęc intenditur, per quā solam excellentissimē supremus spirituum attingitur, & optima Marię portio nuncupatur. Alia verō portio per Rachelem significatur, sed contemplatio in creaturis per Liam, quę lippis erat oculis. Et hęc est ratio, quia quantō mens Deo magis appropinquat, & in eum transformatur intimius, tantō diuinius, & eminentius attingit super-
caelestia. Nulla verō cōtemplatio speculatiua virtutem habet transformandi, sed solus amor extenliuus deificans nos in Deum transformat, qui solus diuina apprehendit, ad cuius pedes nulla contemplatio cognitiua proficit, sed potius velut pedissequa gradum sistens, à longē prospicit reginam Esther ad amplexum regis Assueri consurgentem.

Dicto igitur vtcunque de his, quę necessariō relinquere oportet, deinde secundum profequitur, quomodo scilicet consurgendum sit, dicēs: Et sicut possibile est ignotē consurge ad vnitionem. Hęc autem confurrectio, quę per ignorantiam fieri dicitur, nihil aliud est, quam affectum immediatē moueri motu intelligentiæ nō concomitante, vē
solus.

solus affectus tangat, & in ipso actuali exercitio, cognitio speculatiua nihil agnoscat. Et hic est vnicus oculus sponsæ, quo sponsus in Cantibus vulneratum se meminit, dicens: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Et hæc est cognitio cæteris excellentior, quæ per ardentissimum amorem vnitiuum actualiter sine medio dispositum animum, ardentissimè facit in dilectum sursum actiuus extensionibus assurgere: quæ consurrectio ignota dicitur, quia remoto omnis imaginationis, rationis, intellectus, vel intelligentiæ exercitio, per vnitionem ardentissimi amoris, id sentit in presenti, quod intelligentia capere non sufficit: quinimò oculum intellectus oportet funditus reprimere, quia semper apprehendere vult, ad quod tendit affectio, ita quod maxima aduersatio in hac consurrectione est vehemens inhzrentia intellectus cum affectu. Sed eam argumetosis exercitijs rescindere necesse est: quia pura affectiua consurrectio nunquam fit, nisi totaliter oculus intelligentiæ rescindatur, cum melius vnitur ex eo, quod nihil recognoscit supra mentem eleuata cognitio. Nam quantum intellectus se commiscet affectui, tantum habet de impuritate, & quantum oculus intellectus excæcatur, tantum oculus affectus in suis extensionibus liberius & incomprehensibiliter eminentius eleuatur. Deinde subdit respectu cuius fit ista consurrectio, dicens: *Consurge ignote ad eius vnitionem, qui scilicet est supra mentem & cognitionem.* Cuius causa partim supra dicta est, quia nec gratia, nec gloria, nec dimissio pœnæ, vel aliquid huiusmodi in desiderijs sursum actiue consurrectionis ibidem requiritur, sed ille solus, cui soli propter se mens in multiplicatione vehementium desideriorum vniri desiderat, qui sub apprehensione obtentus, prout ab affectu tendente percipitur: supra omnem mentem humanam & cognitionem attingitur. Sed & modus ipsum apprehendendi, quo cum affectu tangitur, supra mentem & rationem esse dicitur: ita quod effectiua in apice supremo constituta, nihil aliud quam soli Deo vniri desiderat: sed quoniam hoc difficile est, adiungitur, sicut est possibile. Cum enim affectiua à prædictis libera fuerit, tunc velut auicula pennis ardentium affectionum euecta, tanta libertate perfuitur, vt quoties voluerit, ardentissimè moueatur in Deum, ac supra semetipsam mens erecta, quandoque motu & consurrectione, quasi totaliter extra corpus videatur. Sequitur: *(Etenim excessus tu ipsius.)* Per hunc autem excessum amoris igne continuatum, anima efficaciorem separationem & purgationem per flam-

H h h h 2 meas

Cant. 4.
Cognitio
quæ nã me-
lior & ex-
cellentior.supra
omnem mentem
humanamattingitur
supra
semetipsam

meas suas extensiones, omnem rubiginem consumentes promeretur, quam prius in dolore & lacrymis. Licet enim via purgatiua per lacrymas & dolores efficax est ad abluendum & consumendum delicta, haec tamen multo efficacior est, quae per consurrectionem ardoris perficitur. Unde per istum excessum ardoris huius, leuius ab omni irretentibili & absoluto, iam liber ad diuinam incomprehensibilitatis claritatem, ablatis penitus obstaculis, agilimè sursum agitur: quia per continuam consurrectionem motuum anagogicorum magis ac magis affectus extenditur, & quasi quibusdam flammis scintillis mens efficacius purgatur, ac alibi requiem inueniens, ab amore carnali sine murmuratione carnis sequestratur multo plus, quam prius. Exinde praeterea puris moribus affectus fit agilior, ut quoties voluerit, sine praemeditatione praui intellectus ardētissimè moueatur. Licet enim in principio exercitij consurrectionum anagogicarum, apex ipsius affectus cum difficultate confurgit, per amorem tamen ipsius excessiuum, & per efficaciorum purgationem ad libitum quasi sine difficultate supra se confurgit, & agilitate motuum mirabiliter alleuiatur. Quamuis etiam in ipso motu anagogico, natura & amor pariter concurrant, efficacius tamen remotis impedimentis: ac maiori de super adueniente immisione, multo plus ardor amoris, quam vigor affectus naturalis facilitatè & agilitatem motuum incomparabiliter operatur.

Denique tangit adhuc duo, quae maximè derelinquere nos oportet. Primum, scilicet omne irretentibile, quod respicit affectum: quoniam a cuiusque creato afficitur, illi necessario coniungitur, & per consequens irretitur: & sic minus agilis ad consurrectionem diuinorum efficitur. Nec mirum, quoniam affectus immundus redditur, dum in creatura se viliore delectatur. Secundò omne absolutum derelinqui debet. Absolutum autem dicitur omne, quod sua propria forma cognoscitur, esse distinctum habens: cuius omnem speculationem amoveri necesse est, alioqui intellectus immundus, & tenebrosus efficitur, quia dum tantum humana mens scientia speculatiua repletur, in comparatione illius sapientiae, quae est per supersplendentes diuinos radios, quasi quadam obtenebrante caligine obfuscatur. Hoc autem quod sequitur: Sursum ageris, non est tantum intelligendum de agiliiori consurrectione, sed etiam de suprema cognitione ipsius intelligentiae. Nam illa sola de diuinis est vera cognitio, quae scilicet de experimentalibus notitia sursum actiuae consurrectionis relinquitur. Diuina profectò
misera-

Affectus ut
fit immū-
dos.

Cognitio
de diuinis
verissima
quae.

miseratione, secundum quod competit consurgenti, hoc accidit, quod cum mens per curricula multorum temporum aspirauit, ut intimius coniuncta dilectum suum amoris ardentiori vinculo constringat, ut illi aliquando tandem ad tempus modicum, iuxta propriam capacitatem, sicut in raptu quodam, visio beata concedatur: praesertim cum ab irremediabili & absoluto munda dirigitur & erigitur ad diuinarum tenebrarum radium, lumen scilicet incomprehensibilitatis diuinae, quae tenebra seu caligo nominatur, propter excedentem claritatem. Dicit enim Dionysius ad Timotheum, quod diuina caligo lumen est inaccessible, in qua Deus inhabitare dicitur, & inuisibilis quidem existens propter excedentem claritatem. Haec enim sapientia immediate est ante cognitionem raptus. Unde sic diuinus aspiranti, quandoque dicitur: *Amice ascende superius*. Et ideo licet prius dicebatur: *Lucæ 14.* Consurge, hic tamen dicitur: *Sursum ageris*, quia in consurrectione uirtutis sapientiae natura operatur, & gratia, in hac autem eleuatione suprema intelligentiae, sola gratia eleuans, immediatissime operatur, & tam intellectiua, quam affectiua potentissime consummatum officium obtinent actuum suorum, non per modum agendi, sed patiendi.

Tandem vero concludit, dicens: Vide ne quis indoctorum ista audiat. Hic beatus Dionysius Doctores speculatiuos confutat, qui cuncta scire se existimant, cum tamen de vera sapientia, qua mens ad Deum trahitur, parum, nisi coniecturando cognoscunt, qui aestimatione sua diuina percipere credunt ingenio, vel scientiae plenitudine: cum contra mystica Theologia per apicem affectionis consurgere docet per amorem discipulum veritatis. Unde doctrinam huius praeclearae sapientiae sibi soli reseruare, voluit increata sapientia, ut sciat omnis mortalis, quia Doctor est in caelo, qui solam sapientiam veram suis scholaribus per caelestes immisiones, id est, radios charitatis suae manifestat, ut ex hoc omnes mundi sapientes confundantur, quod simplex vetula, vel rusticus pascualis ad istius sapientiae consurrectionem pertingere potest, quam nulla philosophica scientia, vel inortalis industria comprehendere valet. *Psalm. 17.* *Posuit enim tenebras latibulum suum*, nec Deum apprehendere possunt, nisi sub ratione boni, dulcis, & sic de alijs: sed ista sapientia anagogica est quaedam theoria per se distincta, & ab omni sapientia speculatiua diuisa, quae transcendit omnem rationis apprehensionem. Multi ergo sa-

Hhhhh 3. pica.

Math. 11.
Lucæ 10.

pientum huius mundi, quoniam summam hanc sapientiam attingere non valent, insipienter irident, & per consequens Deum altissimum collatorem eius: & ideo merito iubet eam indoctis huiusmodi minimè manifestari. *Iesus autem exultans in spiritu dixit: Confiteor tibi Pater Domine cali, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic placitum est ante te.*

De in habitatione caliginosa sub umbra dilecti. Cap. XXIII.

Joan. 14.
Psalm. 79.

Vlso in superioribus de agnitione Dei, quam anima suscipit in imaginibus, & similitudinibus secundum modum, quo in statu viæ attingere licet ad agnoscendum quid sit Deus: iam altiori consilio, graduque sublimiori inquirendum esse recit, de perfecta Dei agnitione per negationem, qua scilicet intelligitur quid Deus non est. Nam anima cum in duobus agnitionis modis iam præmissis contentari nequaquam potest, cum minimè sufficiant, nec plenam agnitionem Dei conferant, ideo relictis illis, anima dilecta totis se præcordijs subleuat ad videndum dilectum in sua nuda gloriosa essentia, deuotis suspirijs clamitans, & dicens: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et iterum: *Domine ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.* Cuius rursus obijcitur simplex illud obiectum paternalis essentia, vbi per simplicem intuitum nudæ cogitationis, quietam in habitationem possidendõ iam adinuenit, quia tamen experiri iam incipit, quod omnis illa intuitiua cognitio dumtaxat in imaginibus similitudinibus versatur, veluti Deum per indumenta quædam, & non ex facie recognoscens, cum liquido sentit, quod omnia, quæ per intellectum humanum, & cogitationem nudam imaginari valeat, ab ipsa veritate diuinæ essentia, in infinitum sua dissimilitudine distant: hinc protinus oculum suum intellectualem ab infimis imaginibus corporalibus, vsque ad supremas imagines diuinales denudare festinat. Nec retinere vult imagines diuinitatis, vnitatis, trinitatis, bonitatis, nec sapientia, nec quidem ipsius diuinæ essentia probans luce clarius, quod hæc omnia, quantumcunque præcelsa videbantur, Deum tamen in sua proprietate non representant, sed secundum modum, & mensuram humanæ comprehensibilitatis, & intelligentia. Quapropter per nudam cogitationem suam superascendere non cessat in illam caliginosam, & informem nihilitatem. Vbi nimirum in quandam Dei perfectam ignorantiam constitui-

fitur, velut inter duas mensas, id est, duas agnitiones diuinæ veritatis, quasi fame peritura, dum ad mensam inferiorem inclinare se despicit, vbi Deus in imaginibus creatis tantummodo tenuiter, & umbraticè cognoscitur, & diligitur: ad mensam verò superiorem, vbi Deus in nuda sua gloriosa essentia cognoscitur, & diligitur, adire non permittitur, quamdiu mortali suo corpore detinetur. Hoc enim & sacra Scriptura nos docet, ad Moysen dicens: *Domino: Non videbit me homo, & viuet.* Et iterum Apostolus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, que preparauit Deus diligentibus se.* Et iterum: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et Ioannes: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum aparuit quid erimus: cum autem apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* His igitur, & similibus, non absurde probat, quòd ipsam nudam, gloriosam diuinam essentiam experientiali cognitione nequaquam attingere potest, nisi supernaturaliter, & miraculose Deus hoc ipsum ei indulgere voluerit, & in semetipso dignatiua largitate ad hoc habilitando subleuare, & illuminare placuerit, oculo illius intellectuali lumine gloriæ plenius glorificato, vt sic cum Psalmista in lumine eius videat lumen. Hoc est, in lumine gloriæ, quo nostra virtus intellectiua clarificabitur, & habilitabitur ad gloriosam deiformem agnitionem, *videbimus lumen* illud gloriosum eius essentia diuinæ.

Exod. 33.

Isa. 64.

1. Cor. 2.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

Psalm. 35.

Ioan. 1.

Hinc felix anima contemplationis superessentialis auida, in ipsam nudam caliginosam vacuitatem seu nihilitatem cogitationis suæ coram immediata ignota gloriosa diuinitatis presentia, suam inhabitationem constituit, eò quòd illic sine medio lumen illud gloriosum in ipsam caliginem refulgere non cessat, licet, proh pudor, eam tenebræ comprehendere non possunt. Vnde Ioannes ait: *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cuius ratio est, quia caligo illa nondum est glorificata. Dum autem aliquando glorificata fuerit, lumen in lumine comprehendet, & anima ad mensam superiorem subleuata residebit, vbi Deum gustare valebit & bibere, hoc est, in sua nuda gloriosa essentia cognoscere & amare. Si tamen interim suam inhabitationem in ipsa caligine sub mensa superiori, quadam anhelosa longanimitate perseveranter possidere curauerit, velut cellus micas de mensa domini decedentes expectans. Vnde sicut ani-

Matth. 13.

H h h h 4

ma si

ma fidelis & argumentosa cum Patre pridem habitationem suam in nuda simpliciq[ue] cogitatione perfecerat, p[ro]foribus essentia pater- nalis eandem in omnibus operibus suis super omnem multiplicita- rem, simplici intuitu, placidaq[ue] tranquillitate frequentissimè visi- tans, requirens, ac possidens, ingrediens, & egrediens ad imperium di- lecti, ita nunc quoque suam inhabitationem operosius extruit, in illa caliginosa sua cogitationis vacuitate sub excelsa mensa diuinæ super- effluentia, coram immediata & ignota presentia dilecti. Licet autem in excelsa posuerit nidum suum, & in tato collocasse videatur, ni- hilominus tamen semper sollicita sit, quomodo Deo magis ac magis placeat, diuinum beneplacitum semper demulcere quærens, in ope- ribus virtuosis, exercitiis vigorosis, & affectibus amorosis, super om- nes occupationes & multiplicitates hanc inhabitationem continue visitans per excessum quendam simplicem suarum cogitationum, su- per omnes similitudines & imagines, & super omnem nominatio- nem Dei. Sic post omnem occupationem & tumultuationem secun- dum sui totalitatem *in idipsum* reuertetur, *in pace* requiescens in il- lam * vacuitatem & caliginosam nihilitatem sua cogitationis, sicut in propriam suam inhabitationem. Nec intelligendum est, quòd ibi penitus sit otiosa, sed quoniam quandam occupationem otiosam pos- sidet, scilicet amorosam quandam anhelationem ad videndum nu- dam & gloriosam faciem dilecti sui: ad sedendum, inquam, cum cete- ris electis ad mensam illam supremam, ubi dilectus iuxta promissum transiens ministrabit ei. Vbi denique dilectus cibus eius erit & potus, & quicquid esuries & sitis gloriosa desiderare potest.

Psal. 4.
* Alia va-
suam.

Anhelatio
animæ tria
complectitur.
Tad un
amor s.

1. Ioan. 1.

Ceterum, hæc anhelatio amorosa in hac caligine celebrata tria si- mul complectitur, scilicet tadium, desiderium, & spem. Primum au- tem tadium quoddam complectitur in omnibus, quæ sub hac caligine continentur, quoniam ibi dilectum suum minimè reperire præualet, nisi in imaginibus, & similitudinibus, quem in sua proprietate videre desiderat. Hinc etiam quoddam amorosum tadium de ipsa caligine, quam inhabitare cogitur, incipit, donec sese dilectus sua pictate ma- nifestare voluerit. Non enim ignorat, quòd ipse dilecti occultatio contingit ex parte proprii defectus, cum Deus in se gloriosum lumen esse dinoscitur, in quo *tenebrae non sunt ullæ*, ut dicit Ioannes. Et ideo creatis vniuersis in seipso cognoscibilior est creaturis intellectualibus, licet ipsum agnoscere nequeant, eò quòd intellectualis oculus eorum, per lu-

per lumen naturale necdum ad hoc habitatus est, nec etiam per lumen glorie, quod semper necessario requiritur: sicuti sol materialis creaturis vniuersis in se magis est visibilis, utpote fons ipse visibilis lucis. Veruntamen vniuersi corporales oculi illam aspiciere propter nimiam claritatem non possunt, propter eorum debilitatem, & inhabitatem. Sic ergo felix animata radium sustinet lucis caliginis, quam ex seipsa causatam non ignorat.

Denique licet vtcunq; gaudeat super omnem imaginem, & similitudinem in hanc se conscendisse caliginem, omnemque creaturam effugisse, & superuolasse, stans inauertibiliter coram immediata presentia dilecti glorioso lumine caliginem suam illustrantis, quamuis lumen illud gloriosum eius caligo comprehendere nequeat, radium tamen sustinet propter debilitatem, & inhabitabilem oculi sui intellectuales lumen illud capere, vel sustinere non valentis: quoniam nimirum cogitur inter duas mentes famelica, & sitibunda residere.

Secundum vero est quoddam flammigerum desiderium ad gloriosam, & nudam dilecti faciem videndam, & fruendam in plenitudine amoris. Quia nunquam plenum gaudium, nisi in perfecta Dei visione, & cognitione valebit adipisci. *Petio, inquit, & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Et item ait: *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo toller a vobis.* Cum igitur anima in hoc feruido, & penetratino desiderio coram ignota, licet immediata Dei presentia steterit, statim recipit *verbum illud absconditum*, de quo dicitur in libro Iob: *Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius, id est, occultissimas inspirationes alloquentis Verbi, quod est Filius Dei Christus Iesus sapientia Patris qui, ut dicit Iob, absconditus est ab oculis omnium viventium.*

Hoc *Verbum* anime amorose dulci susurrio loquitur in ipsa caligine sua cogitationis ipse Pater in illa caligine cum Filio, & Spiritu sancto inhabitans, sicut promiserat Christus, dicens: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ibi denique Verbum suum loquitur, non in imaginibus, vel similitudinibus, que procul funditus eliminate sunt; sed in sua gloriosa luce, licet ipsi anime Verbum hoc absconditum maneat: quia quamuis *lux ipsa luceat in tenebris, tenebrae tamen eam comprehendere non possunt.* De quo Verbo diuino dicit Sapiens: *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in cursu suo medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus exiens de celo a regalibus sedibus*

Desiderium
amoris.

Ioan. 16.

Iob 4.

Iob 28.

Ioan. 14.

Iob 1.

Sapient. 18.
Silentium
mythicum.

- alibus venit.* In caligine quippe cogitationis tenent omnes creaturæ *silentium*, ubi caliginosa *nox* suum cursum habere dinoscitur, id est, tum suum in hac vita, quæ tota cursus quidam est. In media vero vita cursus huius, inter Deum scilicet, & creaturam, mensam superiorem, & inferiorem, aduenit *omnipotens Sermo* diuinus à *regalibus sedibus* paterni cordis, quo scilicet dulce susurrium infert auribus dilectæ suæ diuinarum inspirationum, quibus eam vigilem reddat, ne in ipsa caligine præ tædio dormiat, desiderijs otiosa, & amore tepida.
- Spes secura.* Tertium autem est spes secura, quam anima ex occultissimo susurrio paterni verbi meretur adipisci. Nam ut cæcus à natiuitate, qui desiderio flagrat ad videndum exteriorem visibilem omnium creaturarum ornatum, quem quia nunquam vidit, quicquid illi de huiusmodi dicitur cum desiderio quidem, sed sine imaginibus, & similitudinibus recipit, cum in se quæ nunquam vidit, nequaquam formare potest: sic seix anima venas suscipit diuini susurrij auribus quidem desideriorum suorum, sed sine imaginibus, & similitudinibus, quia susurrium illud incomprehensibilem gloriæ diuinæ essentiæ multitudinis demultionibus eidem inspirat, de qua nunquam perfectam imaginem habuit, vel habere velit: quia duntaxat nudam gloriosam diuinam essentia in seipsa, & cum seipsa videre desiderat, quomodo, & quando dilecto illam sua pietate manifestare placuerit.
- Cæterum, licet in hoc statu in ea creaturæ vniuersæ silere cogantur, ipsa tamen minimè sibi ipsi silentium indicere potest, non cessando viscerosis desiderijs dulcia susurria cum dilecto inuicem frequentare, eumque nunc pijs argumentationibus, nunc gratiarum actionibus, nunc amorosis aspirationibus conueniens, & alloquens. Quod utique susurrium, licet sine verbis & imaginibus celebretur, nec percipere quis potest, nisi ipse dilectus, & dilecta, dicente sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: nos tamen pro modulo nostro balbutiendo colloquium illud dulcissimum prosequamur, quibusdam dissimilibus similitudinibus. Nam inspiratum Dei verbum in sua auda cogitatione loquitur animæ, dicens: *Ego sum alpha, & omega*, hoc est, *principium, & finis* omnium creaturarum, essenziale bonum earum, ac perfecta beatitudo, vnicuique iuxta modum, & capacitatem suæ naturæ: plenitudo sum immensarum æternarum diuitiarum gratiæ, & gloriæ, quas *nec oculus vidit, nec auris audivit*, quas præparavi diligenti-

Susurrium amoris.

Cantic. 2.

Apocal. 1.

Isaia 64.
1. Cor. 9.

gentibus me, vt fatientur & inebrientur ab *vberrate domus meae*. Cui felix anima dulci susurrio desideriorum suorum respondet: O quam *beati* qui edunt, & bibunt ad mensam tuam Domine, quoniam te lucide cognoscunt, iucunde laudant, magnifice gratias agunt, ardentem diligunt, & te fruuntur in *letitia, & exultatione*. Ego autem hic fame crucior, proiecta in cinere, & caligine, & lumen cali non video. Sitio te clare cognoscere. Esurio te perfecte diligere, nec desiderium meum adipisci valeo. Obsecro Domine, *si mihi gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*. Quid enim mihi est in caelo? & a te quid volui super terram? Cui respondit Dominus: *Ostendam tibi omne bonum, ostendam tibi faciem meam*: veruntamen non hac vita, quia non videbit me homo, & viuet. Futuri temporis est, quod petis, non presentis. Nunc instruuntur sponsalia, parantur impensa, insilitur ornatui, paratur amplexui, sed in futurum reseruetur mutua fructuionis desideratiisimus complexus. Ad quod illa: *Ece ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Pero Domine, vt verbum tuum fiat sicut sacrificium *versertinum*. Et ego requiescens in spe, veluti catellus Domini mei, sub mensa perseuerabo patiens & sustinens, vt saltem *de micis eius* utcunque sustentari valeam, cum sponsa dicente: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Et iterum: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*, id est, quia amerosum susurrium tuum, & spes secura, quibus me pascere, & consolari digneris, mihi meliora sunt, & dulciora, imaginatiua cognitione, magisque saporosa, & fragrantia, super oblectationem omnis intellectualis imaginationis. Ideo ceteris resutatis *vbera tua* fidelitatis & consolationis, velut fructus huius umbrę requirere non desinam, donec aspiret dies, & inclinentur umbrę. Veruntamen dilectus meus interim saltem *osculetur me osculo oris sui*, quoniam in tenebris conuenienter osculari potest, licet videri non ita. Tunc Pater misericordiarum, qui tribuit omnibus abundanter, & non improperat, dulciter se inclinat, vt osculum conferat, id est, immediatam suam ignotam presentiam ad amandum profua prodigalitate funditus exponit. Ac anima illic de suspensis susurrijs, & desiderijs vniuersis, os suum, nudam, ciliect, & simplicem suam presentiam in Deum proclinat amorosa quadam profundatione sui ipsius. Ibi que se inuicem osculantur Deus, & anima, quoniam ipsa sine medio Deo coniungitur in unitatem amoris, & feliciter deificatur secundum diuinitatis totalitatem, prout videbitur in capite sequenti.

Psalm. 35.
Psalm. 85.
Psalm. 44.

Luce 15.

Exod. 33.
Psalm. 72.

Exod. 33.

Luce 1.
Psalm. 140.
Math. 15.

Cantic. 2.
Cantic. 4.

Cantic. 4.
Iacob. 1.

De felicissima deificatione animae amorosa. Cap. XXVIII.

Bernardus.
Osculum
mysticum
quod.

Felix anima purissimum & nobilissimum susurrum Deo ingerit, dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* quodque post anhelosa desideria per nudam & simplicem mentis oriositatem amoroso immergō in dilectum se proclinans, tandem consequitur, ubi felici cōplexu se inuicem osculantur, quoniam immediatē Deo per amoris vnionem coniungitur, & quodammodo deificatur: Dicit enim Bernardus super eodem verbo: Ego arbitror neminem facile scire, quid sit osculum, nisi qui accipit. Est quippe manna absconditum, & solus qui edit, adhuc esuriet, & solus qui bibit, adhuc sitiet. Non est cuiuslibet hominis, sed si quis semel ab ore Christi susceperit, habet proprium experimentum, quod profectō sollicitat & cogit amplius ad perendum. Hoc osculum sola & rarō perfectio experitur. Oportet enim huiusmodi amare castē, vt ipsum sponsum solum, & non alium amet petat, vel quarat: amare sanctē, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus: amare ardentē, vt ita amore sponsi inebrietur, quod maiestatem non cogitet. Hoc osculum nihil aliud esse credimus, nisi Spiritum sanctum, ad consolationem animae sancte missum. Sicut enim osculantium spiramen se permiscet, vt vnus anhelitus iudicetur, sic Spiritus sanctus nostro spiritui dulciter immixtus, fit vnus spiritus cum eo: quae scilicet vnio deificationem animae feliciter accelerat. Quae nimirum deificatio super omnem rationem & intellectum experientia felicissima sentitur impleta, ubi nec ratio valet attingere, licet illuminata ratio ea, quae sentit amor, semper intelligere conatur. In aliquibus etiam ratio veritatem intuenit, in quibusdam verō falsitatis errorem incurrit, quia ratio praesertim in his, quae super eminent, facile deuiare potest. Qui autem ad hoc à Deo plenius illuminantur, sine falsitatis errore veritatem adipiscuntur.

Essentiale
esse anime
quod.

Ad sciendum igitur quomodo felix anima deificari potest, Primò notandum est, quòd anima nostra duplex esse habet, scilicet esse essentialē, & esse actuale. Porro secundum esse suum essentialē, est quaedam simplicissima spiritualis substantia, nihil in ea plus comprehendendo, quam scilicet essentialitatem in aeternum immutabiliter retinebit. Licet enim omnipotentia diuina protinus ipsam animam, si vellet, in nihilum redigeret, vel in aliam creaturam commutaret, veluti substantiam panis & vini in corpus suum, & sanguinem solo

verbo

verbo superfluentiſſima largitate convertit, minimè tamè eius ſubſtantiã in ſuam propriã naturã immutare valeret. Hoc enim eſſet aliũ *A. Quale eſſe animæ quod.* à ſe conſtituere Deũ, quod eſt impoſſibile. Secundũ autem eſſe ipſius animæ, dicitur eſſe actuale, quod in operibus perfectiõis, vel etiã in operoſitate perfecta viriũ ſuarũ initium ſumit. Hoc autè eſſe eſt quedam adornatio & perfectio eſſentiæ ipſius animæ. Non enim anima noſtra à Deo facta eſt, vt velut truncus inſenſibilis otioſa quedã ſubſtãtia ſine omni operatiõẽ permaneat, ſed vt opera viuida perficiat. Et in hoc eſſe actuale magis propriè vera nobilitas animæ conſiſtit, quàm in eſſe ſuo eſſentiãli: quia propriè ſecundũ eſſe ſuum actuale, facta eſt *ad imaginem & ſimilitudinẽ Sanctiſſimæ Trinitatis*: & ſecundũ illud eſſe ſaltari poteſt vel dari: Vnde dicit Apoſtolus: *Si linguĩs hominum loquar & Angelorum, charitatẽ autem nõ habeam, factus ſum velut es ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiã, & nouerim myſteria omnia, & omnẽ ſcientiã, & ſi habuero omnẽ fidem, ita vt montes tranſferam: charitatẽ autem non habuero, nihil ſum.* Et Iohãnes: *Qui non amat, manet in morte.* Quasi diceret: Anima, quæ non eſt ſecundũ eſſe ſuum actuale, nihil eſt, & veluti mortua, quæ corpori nudũ eſſe tantummodò tribuit, ſine omni motũ bonorum operum. Et idèd meritò ſecundũ eſſe ſuum actuale, cuncti beati ſpiritus velut à digniori nomina ſua ſortiri ſunt, vnũſquiſque ſecundũ propriam actualitatẽ. Cuius etiã cauſa potiſſima liquidò claret ex eò, quòd eſſe noſtrum eſſentiãle tantũ, ſine actuale eſſe, nec cognoscitur, nec diligit, in quibus tota noſtra beatitudo conſiſtit: hoc enim eſt exercitiũ omnium ſpirituũ beatorum.

1. Cor. 13.

1. Iohan. 3.

Præterea diligentius intueudum eſt, quòd ſicut in anima quedam conſiſtit eſſentiãlis viuacitas, ſecundũ eſſe eſſentiãle naturæ, ſic etiã in anima quedã eſſentiãlis ſanctas reperitur ſecundũ eſſentiãle eſſe gratiæ, & quedã eſſentiãlis beatitudo, ſecundũ eſſe eſſentiãle gloriæ. Nũc autem ſicut riuius originem ſuam & naturam ab ipſo fonte recipit, nec altius aſcendere præualet, quàm primariã fontis illius ſcaturigo conſiſtit: ſic etiã actuale eſſe ipſius animæ naturam ſuam & originem trahit ex ipſo eſſentiãli eſſe, tam in natura, quàm in gratiã & gloriã. Nec altius ipſum eſſe actuale conſcendere poteſt in his tribus ſtatibus & differentijs, quàm ipſum eſſe eſſentiãle priũ eleuatũ fuerit in natura, gratiã, & gloriã. Nam eſſe actuale ipſius animæ in nuda natura ſublimiora opera perficere non po-

Beatitudo eſſentiãlis animæ quæ.

test, quàm ipsi naturæ conueniant; nec etiam in gratia & gloria, quàm tali gratiæ vel gloriæ congruat. Hinc ergo, sicut esse actuale animæ in natura quædam essentialè viuacitatem præuiam habet in ipso esse essentiali animæ unde sumplit originem, sic etiam ipsa sanctitas actualis, qua scilicet esse actuale ipsius animæ formatur, & eleuatur, ad statum quendam supernaturalem, quendam essentialè sanctitatem præuiam habet, qua scilicet esse essentialè animæ formatur, & eleuatur, ad quoddam supernaturale esse essentialè per habitum diuinæ gratiæ. Et ideo Doctores communiter sentiunt, quòd ipsa essentia animæ influxum gratiæ recipit, diuidens singulis viribus eius, prout citique opus est. In se nihilominus formans habitum virtutum ad perficiendum opera virtuosa, secundum exigentiam & naturam ipsius gratiæ. Sic etiã in gloria actualis beatitudo ipsius animæ, qua scilicet esse actuale ipsius animæ formatur & eleuatur ad quendam beatificum gloriosum statum, præuiam habet quendam essentialè gloriosam beatitudinem, qua scilicet ipsum esse essentialè animæ formatur, & eleuatur ad quoddam esse essentialè beatificum & gloriosum per habitum & lumen ipsius gloriæ, ipsi essentiæ animæ primitus infusum. Ex qua protinus defluit in omnes vires animæ & corporis ad opera gloriosa perficienda, eas habitans secundum vniuscuiusque modum, naturam, & capacitatem. Sic vires animæ nostræ, præsertim superiores, scilicet virtus intellectiua & amatiua, formantur & ornantur habitibus gloriosis, ad perficiendum, continuandumq; tria opera gloriosa, quæ dicuntur tres dotes animæ, in quibus nostra summa beatitudo consistit. Nã

Intuitio. virtus intellectiua glorioso quodam lumine formatur & habitatur, ad intuitum quendam gloriosum, quo Deum in sua nuda gloriosa essentia videre valeat. Virtus autè amatiua quodam amore glorioso formatur & habitatur ad opera duo gloriosa perficienda. Quorum primum est quidam amor excessiuus, in illud amorosum, beatificum, & gloriosum obiectum superexcellentiissimæ Trinitatis: quod obiectum

Amor. virtus intellectiua perpetuò sine intermissione luce clarius ostendit. Secundum est, quædam beatifica gloriosa fruitio eiusdem amorosi obiecti, quæ feliciter confouetur in quadam æterna beatifica vnione ipsius Dei & animæ, dilecti & dilectæ, sponsi & sponsæ, secundum meritum & capacitatem vniuscuiusque animæ beatificandæ.

Fruitio.

Deificatio animæ. Veruntamen ad admirabilem ipsius animæ deificationem euidentius ostendendam, nunc incepta prosequamur, quomodo scilicet anima

Animæ glori-
osæ dotes
tres quæ.

Intuitio.

Amor.

Fruitio.

Deificatio
animæ.

anima dicatur deificata secundum illud Prophete: *Ego dixi: Dives estis, & filij excelsi omnes.* Sciendum ergo, quod illud esse actuale ipsius animae, quod originatur in viribus eius, in seipso imperfectum est, utpote nondum formatum, sicut vires in animae substantia plantatae consistunt, quoniam à seipsis nullam operationem habere nesciunt, eo quod in seipsis materiales sunt, sed formales cum suis obiectis. Quaedam autem earum cum medio, sicut vires imaginibus & similitudinibus videntes, utpote visus, phantasia, memoria, ratio, intellectus: quaedam vero sine medio, sicut auditus, odoratus, gustus, tactus, & interior affectio, tam superior, quam inferior, quae vires cum suis obiectis sine medio formantur: quoniam auris immediate percipit in se sonum auditum, sic virtus olfactiva suscipit odorem, similiter gustus & tactus. Sed virtus affectiva, quia semper interior remanet, & obiectum suum (ut in pluribus) exterius permanet, ideo cum suo obiecto sine medio formari non potest, cum creaturae, quae foris obstant, ad eam intrare nequeant: nec ipsa ad illas exire. Et ideo quando obiectum illius eidem praesens non est, mox seipsam transfert in obiectum, sicut in sua memoria vel phantasia formatum fuerit, sicq; cum obiecto suo formatur per medium imaginis illius. Si autem obiectum suum exterius praesens fuerit, protinus imaginem illam internam deserit, & se cum ceteris viribus transfert in obiectum suum principaliter vel praesentialiter assistens, sine medio suae formae seipsam uniens ei quantum potest. Quae nimirum formatio virtutis affectivae inter haec duo, scilicet affectum & obiectum tantam causat unionem, quod sicut anima & corpus in homine velut materia & forma simul unita, unum hominem constituent: sic etiam affectiva virtus & obiectum unum fiunt, quasi materia & forma, secundum capacitatem & naturam ipsius materiae, id est, virtutis affectivae. Quoniam unaquaeque virtus formatur secundum propriam capacitatem & actualitatem, ad quam creata disponitur. Et hanc actualitatem mediante forma deducit ad actum, quia sine cuiusmodi formatione nulla virtus operari potest. Porro si virtus aliqua, semper obiecto aliquo formata persisteret iuxta formam suam vel obiectum, congrue satis sese nominare posset & dicere, secundum formalitatem meam sum hoc vel illud, eo quod à digniori debet fieri denominatio. Cuius ratio est, quia tunc impratermissa necessitaretur agere secundum exigentiam suae formae, nec quicquam aliud operari valeret. Ut verbi gratia, si corporalis oculus aliqua fuerit ima-

* Alias illicque

Virtus affectiva animae quomodo formatur.

Anima q̄-
nā sibi ap-
propriare
possit.

gine cuiuspiā creaturæ insignitus iugiter & formatus, ita quod imago illa speculum ipsius oculi secundum sui totalitatem occuparet, oculus non absurdè diceret: Secundum meam formalitatem sum illa creatura, cuius formam indui: in qua quamdiu perseveraui, nullam aliam creaturam videre poterō. Denique quicquid sibi qualibet virtus specialiter appropriat, conuenienter anima secundum esse suum actuale appropriare potest. Ex his utrunque admirabilem illam deificationem & immediatissimam unionem ostendere poterimus, quam anima felicissima cum Deo possidet per amorem, qui causat illud dulcissimum oris osculum, de quo nunc loquimur. Nunc ergo diligentius intendite. Licet cum essentia sua Deus intimior sit & presentior anima nostrā, q̄ ipsa sit sibi, sicut subsistentia quaedam est omnium creaturarum: hæc tamen diuina presentia secundum esse duntaxat essentialiale ipsius animæ esse dinoscitur, nec sanctum faciens, nec beatum esse eius actuale: quia non est obiectiua presentia, quæ sola esse actuale animæ formare solet. Cùm igitur intellectiua virtus animæ Deū agnoscit in formis & similitudinibus, amatiua virtus se protinus transfert in Deum, sicut illum in imaginatiua virtute reperit imaginatū, statimq; cum eadem imagine virtus amatiua formatur, in ea Deum diligens & amplectens secundum exigentiam illius imaginis, siue fuerit imago maiestatis, bonitatis, pietatis, charitatis, siue sapientiæ, aut diuinæ essentia: nihilominus tamen simplicem & rectam eius intentionem per omnes imagines & similitudines, nudè sine medio transfert in Deum. Cùm autem per virtutem amatiuam anima super omnem imaginem & similitudinem in illam caliginosam nihilitatem sitæ cogitationis ascenderit (ut dictum est) ibi Deus eidem obiectiue sine medio presentis est, secundum totalitatem diuinitatis suæ.

* Aliās intellectiua.

Anima ut
fiat vn⁹ spi-
ritus cum
Deo suo.

Ceterum, quia vnaquæque virtus simplicem animæ substantiam penitus complectitur, velut suam propriam subsistentiam, anima verò totum esse suum actuale in viribus suis, quibus operatur, habet, & possidet, ideo anima per vires suas, non secundum esse sine essentia animæ consideratas, sine qua subsistere non possunt, DEO per amorem immediatè coniungitur & vnitur, secundum esse suum actuale, quod in amatiua virtute possidet, & cum eo plenariè formatur, secundum diuinitatis totalitatem, sicut materia cum sua forma, iuxta capacitatem & naturam virtutis eius amatiuæ, sicut Deus & anima spiritus vnus efficiuntur, secundum esse actuale virtutis amatiuæ, sicut corpus &

corpus & anima vnum hominem constituunt. Hoc autem vnum esse Dei & anime spiritus vnus proprie vocatur: quia Deus spiritus vnus est, & anima spiritus vnus est, qui duo mirabilibus formulis simul vniuntur. Nam hæc vnio fit per operationem amoris, cuius operari est, in dilectum spirare.

Præterea notandum, quod iste vnus spiritus secundum formam suam Deus est, secundum materiam autem est ipsa anima. Cum igitur forma, secundum quod forma, semper nobilior est in esse illo, in quo est forma, quam ipsa materia: materia verò in esse illo, in quo est materia, suam perfectionem recipit à sua forma, ac opera vniuersa secundum exigentiam formam perficiuntur: ideo congruè satis vnum illud, quod ex duobus adunatum est, secundum eius formalitatem nominatumus, cum à digniori debet fieri denominatio, sicut (verbi gratia) ferrum candens & ignitum ignem vocamus. Vnde etiã à simili spiritus iste Deus denominari potest, quia secundum formam suam Deus est, ideo talis anima dicere potest: Ego sum Deus, nõ secundum esse essentielle meæ substantiæ, quæ scilicet immutabilis permanet, sed secundum formalitatem esse actualis, quã in amatiua virtute possideo. Eia quanta dignitas amorose anime, de qua subtiliter Apostolus loquitur, dicens: *Qui adheret Deo, vnus spiritus est.* Nam adhesio discernit duplicitatem substantiæ in Deo & anima, quia proprie sibi ipsi nullus adherere dicitur, & vnitas illa spiritus fit per superinformationem anime in ipsa virtute amatiua, vt dictum est. Deniq; licet anima in statu viæ cum Deo sine medio formatur, solummodo secundum amatiuam virtutem, in statu tamen gloriæ formabitur, etiam sine medio secundum virtutem eius intellectuam cum illius essentiæ diuinæ gloriosissima forma, sicut etiam in hac valle miseriæ largitate diuina nonnullis vmbriticè conceditur experiri, in lumine Deiformi Deum cernentibus: & tunc ipsa secundum esse suum actuale ipsius intellectiue naturæ perpetuè deificabitur. Nam per vires superiores sic deificatas formabuntur, & glorificabuntur à Deo, immediatè tamen, vires omnes sensuales, tam exteriores, quam interiores, totaque congeries nostri corporis. Et sic iuxta sententiam Apostolicam, erit Deus *omnia in omnibus nobis.*

De septem signis veræ electionis. Cap. XXVII.

In superioribus progressum viatoris celeri cursu perstringentes, tam in vita morali, & actiua: quàm in vita spirituali, & contemplatiua, meritò verba thematis frequentauimus, cum tota salus viatoris

Kkkkk

lit in

fit in profectu amoris, quo sibi moriens, Deo viuat: cuncta deserens, Deo approximet: cetera detestans, Deo inhareat, amplexetur, & teneat. Veruntamen, *beatus quem ad hoc elegisti Domine*. Licet enim *multi vocati* esse videantur ad fidem, & Christianitatem; ad innocentiam, vel poenitentiam; ad castimoniam, & solitudinem, & religionem; sed *pauci sunt electi* ad perfectam sui mortificationem, & conscientia tranquillam assecurationem. *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Non est qui percipiat donum hoc, non est usque ad unum: unam scilicet petens a Domino, & hanc requirens.

Rom. 11.
Mat. 40.
Psalm. 52.
Psalm. 26.
Eccles. 9.
Astor. 1.
Apocal. 19.
Ioan. 13.

Quoniam aliter nemo scit, an odio, vel amore dignus sit. Tu autem Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his, qui ad conam nuptiarum Agni vocati sunt: scis enim solus quos elegeris. Interim tamen & nos fratres signa quaedam diuine electionis, & future predestinationis prenotare curabimus, quasi vincula quaedam insolubili nexu Deo nos colligantia: ne, quod absit, patiamur reciduum, aut lethale ditortium, quibus profecto Deus animae vires efficaciter attrahens, & ineffabiliter sibi conglutinans, felici quadam stabilitate confirmat: non tamen separabilitatis possibilitatem auferens, sed difficultatem quandam efficiens. Quod denotans in Cantico, ex electis vna, dicit: *Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Lani pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Cantic. 5.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quod sicut septem sunt animae vires magis principales, sic etiam septem assignanda sunt signa, quibus ha vires a Deo viuaciter attrahuntur, dulciter ununtur, & quodammodo inseparabiliter colligantur. Prima vis animae dicitur concupiscibilis, quae tunc a Deo perfecte trahitur, vnitur, & colligatur, cum plenariam sentit omnium mundanorum auersionem, & desipientiam: quibus nimirum impellitur ad affectum solitudinis, & fugam societatis, sicut oranti Arsenio responsum erat: *Fuge mundum, & saluaberis*. Vnde Dominus ait per Osee: *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius*. Vbi dicit Albertus Magnus, libro de veris virtutibus, quod locutio eius ad cor, est de arduis gratijs menti securitatem praestare. Nec tamen in solo tractu solitudinis confidendum est, nisi poenitentiae serior, & emendationis, ad se mortificandum in omnibus concomitetur: & sic tandem eorum vsu, dulcorum quandam spiritualem feliciter experiatur, omnem austeritatem suo vigore delectabilem efficientem: quia *qui Christi sunt, carnem suam*

Concupiscibilis vis, ut trahatur a Deo.

Osee 2.

Galat. 5.

CTHCA

crucifixus est cum vitis & concupiscentiis. Ex quibus finaliter insolubile vinculum exoritur, vim ipsam concupiscentiam tam efficaciter illaqueas & Deo colligas, quo quis, licet divina consolatione, & interna deuotione priuetur, in infimis tamen consolatione, vel minima, quae Deum non sapit, nequaquam admittere praevalet, ingeminas illud Dauidicum: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Et illud Apostoli: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo;* id est, quae mundus diligit, quasi tormenta sentio; & quae complector, mundus cruce reputat. Et hoc est primum signum verae electionis, quo Iohannes Euangelista nubere volentem ad effectum spirituale retraxit Deus, ut Christum imitans, respueret lene coniugis pectus, unde postmodum ab eodem inuitans, Odor, inquit, tuus concupiscentias in me suscitavit aeternas. Quam electionem Christus innuens, ait: *Sic enim volo manere, donec veniam;* scilicet in integritate carnis, dulcedine spiritus, & contemplatione mentis.

Secunda vis animae dicitur rationalis, quae tunc à Deo perfecte trahitur, vnitur, & colligatur, cum perfectissimum illud exemplar humanitatis Christi semper amplectens, quantum ad omnia virtutum exercitia, in eandem imaginem se transformare laborat, ut sic omni moda conformitate perfectam in se Christi similitudinem gerat: praesertim cum aspirat ad amplexum illius abyssalis humilitatis, de qua Iesus peculiare mandatū dedit, dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* *Mitis*, inquam, quantum ad exteriorē exhibitionē: *humilis* verò *corde*, quantum ad interiorē dispositionē. Per cuius vigorem imitationem, eousque interdū perducitur, quod veritate cognitionis sub omni creatura se despiciendo deijcitur, & exteriori humiliactioni, prout illius statui congruit, innititur, affectuque vilitatis ab omnibus despici gloriatur. Et exinde vinculo quodā humilitatis perfectissimè colligatur, quo nunquam sibi ipsi de virtutibus aut meritis nouit adscribere, nunquam honore quocunque sibi oblato penitus insolescere. Et hoc est secundum signum verae electionis: quia Antonius videns mundum laqueis plenum, quaesivit à Domino, dicens: *Quis illos euaderet;* & responsum est ei, sola humilitas.

Tertia vis animae dicitur irascibilis, quae tunc à DEO perfecte trahitur, vnitur, & colligatur, cum dulcorosa quadam, & tranquilla patientia, propter amorem, & honorem dilecti cuncta suscipit aduersa, gaudens, & exultans: quia dignus habitus est *pro nomine IESU consumeliam*, & tribulationem pati, illud Tobiae prudenter attendens:

K k k k k 2

Quia

Sng
Signum di
uinae electi
onis IPsal. 76.
Galat. 6.

Electio Iohannis Euangelistae.

Iohan. 26.

Rationalis vis animae ut trahatur à Deo.

Matth. 23.

Electiois diuinae signum II.

Astor. 7.

Tob. 12.
Tribulatio
nem electo-
rum Dei fieri
trifariam.
Psalm. 87.
Sapient. 3.

Act. 9.

Iob 2. & 3.

Iob 3. & 4.

Quia acceptus erit Deo, necesse erat, ut tentatio probaret te. Tribus ergo modis occultos filios probare Deus affolet. Primò per seipsum, vniuersam scilicet gratiam refrigerantem subtrahendo, ita quòd remanent obnubilati, desolati, & aridi, quasi penitus à Deo derelicti, & reprobati, tanquam *vulnerati dormientes in sepulchris*, de quibus Ecclesia concinit, dicens: Sicut *aurum in fornace* probauit electos Dominus, & *quasi holocausti hostiam* accepit eos in aeternum. Vnde cum de Paulo Dominus pramississet, dicens: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus terræ*, statim subiunxit: *Et ego ostendam illi, quanta oporteat eum pronomine meo pati.* Et si in huiusmodi probati fideles inuenti fuerint, secundò eos probare solet plerumque per suos tortores, id est, daemones, scilicet non solum subtrahendo diuinum influxum, sed etiam diuersis tentationibus expositis denegando ferè cunctum diuinæ protectionis auxilium. Sicut enim Iob corporaliter à Deo traditus fuerat ad flagellandum, tam in totalitate rerum, quàm membrorum, vt tantum anima illius, id est, vita salua seruetur: sic isti spiritualiter infinitis tentationibus, etiam inhumanis, & reprobis obstinantiæ, & blasphemia plenis lethaliter exponuntur, vt non videatur in eis remanere sanitas, nisi duntaxat in superiori parte syneresis. Cum enim occultissimos filios suos Deus, nullis aduersitatibus, nullisque tribulationibus, & desolationibus contristare potest, vt pote ad omnia perferenda paratissimos, nisi duntaxat in his, quæ quandam obdurationem, & inuidiam contra Deum eisingere videntur, hinc est, quòd eisdem impugnationibus illos occultissimo suo iudicio probare frequenter experitur, quibus nimirum intantum sedulè cruciantur, quòd beatus Augustinus, & Bernardus, illorum pressuram infernali pœnalitati non inconuenienter assimilant. Tertio denique dolorem dolori Deus superaddens, illos tandem actualiter sinit persequi, despici, derideri, ac velut insanos, & obsessos reputari, etiam ab his, qui seculari honestate, probitate, scientia, & sanctitate præditi videantur. Qui profectò potissimum talibus offendicula desolationis obijciunt instinctu diabolico, licet ipsis ignorantibus, prouocati. Sicut enim sanctus Iob à tribus amicis, qui venerant ad consolandum eum, scilicet instigante Satana, statim impetebatur iniustis correptionibus, falsis derisionibus, & nephandis detestationibus, ita quòd (ipsis penè non aduertentibus) eorum charitatiua visitatio verteretur in feralem desolationem, & domesticam impugnationem:

nema:

nem: sic isti talium desolatorum anxietates, & gestus singulares, peruersè quidem interpretantes, derident, & exprobrant, infamant, detrahunt: & illud præsumptuosè persequi non desinunt, quod veluti ignotum magis excusare, vel admirari, aut potius venerari debuerant, eò quòd vniuersa dubiosa, & ignota semper sunt ad partem meliorem interpretanda. Et ex his occulti Dei filij per omnia depurati, tandem ad hoc indissolubile vinculum felicitatis mortificationis attingunt, quod semper omnem desolationem, & nullam consolationem affectant, exemplo Christi dicentis illud Psalmistæ: *Improprium expectauit cor meum, & miseriam.* Et hoc est tertium signum veræ electionis, quo beatissimus Pater noster Franciscus artham aeternæ felicitatis promeruit, cum post nimium dolorem oculorum, & capitis per dies quinquaginta, incredibilem quoque murium infestationem latissimè perpellam à Domino tandem audiuit: Gaude nunc Francisce, quia ad infinitum thesaurum aeternæ vitæ tibi repositum, perfruedum ex nunc te inuestio. Præfens autem afflictio, & infirmitas tibi data est pro artha thesauri illius.

Quarta vis animæ dicitur libertas arbitrij, quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cum quis omni proprietari, & propriæ optioni mori desiderat, vt sic voluntas eius in diuinum beneplacitum liquefacta penitus absorbeat. Et hæc est potissima libertas creature rationalis, diuina scilicet potiri voluntate: quia nimirum ab omni timore funditus absoluitur, & in quadam ineffabili securitate constituitur, Deo non seruiens amore præmij, vel timore supplicij, sed amore dilecti: quoniam omnis amor commodi, vel timor incommodi ab eo sublatus est. Sicque tandem ad hoc vinculum pertingit vnicordij, quòd si dilecto placuerit, etiam ipsam totalitatem infernalis penalitatis sine retractione cordis ob amorem eius libens sustineret, incessanter illud Dauidicum repetens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*, scilicet tam ad aduersa, quam ad prospera. Et hoc est quartum signum veræ electionis, quo scilicet Abraham liberalissimè filium offerens, amicus Dei meruit appellari, & audire Dominum dicentem: *Quia fecisti hanc rem, benedicens benedicam te, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cali.*

Quinta vis animæ, quæ & parti superiori conuenienter adscribitur, dicitur virtus amatiua superior: quæ tunc à Deo perfectè trahitur, vnitur, & colligatur, cum per flammam charitatem in sua perfectio-

Psalm. 62.
Electionis
diuinae
signum III.

Libertas
arbitrij
trahatur
à Deo.

Psalm. 56.
& 107.
Electionis
diuinae
signum IIII.
Genes. 22.

Vis amatiua
superior
trahatur
à Deo.

ne constituitur, ita quod nihil etiam in proximo diligat, nisi virtutes: nihil odiat, nisi peccatum: & hoc sine omni differentia personarum, ut non sit quis tam intimus sibi, in quo vitium palpet, vel diligat, aut eius familiaritatem exquirat, nisi in quantum profectus suus, vel illius requirat: nec tam aduersarius, in quo aut naturam, aut virtutes odiat, vel saltem ad eius salutem intepescat. Et hoc solum propter diuinum honorem & amorem, & proximorum salutem. *Diligite, inquit, inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Altissimi.* Et iterum: *Ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Ex quo vinculum indissolubilis effluit charitatis, quod eodem vultu & affectu dilectionis amicos & inimicos, notos & extraneos, benefactores & persecutores amplectitur. Quod quidem ab amore diuino purissimo pariter & intensissimo defluit, quem eadem hilaritate & affectuositate suscipit, vel in omnibus consolantem, aut in omnibus defolantem, quærens in singulis dilecti sui gratissimum beneplacitum. Et hoc est quintum signum electionis, quo felix illa Magdalena electa dinoscitur, dicente Domino: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et subdit: *Fides tuæ salutem fecit, vade in pace.* Vnde postmodum acta feruore dilectionis, omnem humanam conuersationem abhorruit, & in solitudinem solis amplexibus confouenda diuinis, deuota perrexit.

Matth. 5.
Luca 6.

Electionis
diuinæ si-
gnum V.
Luca 7.

Intellectus
animæ vt
erabatur à
Deo.

Philip. 3.

Electionis
diuinæ si-
gnum VI.

Sexta vis animæ dicitur intellectiua, quæ tunc à Deo perfecte trahitur, vnitur, & colligatur, cum eliminatis cunctis occupationibus, ac mentalibus discursibus, ad indaganda spiritalia & cælestia, mens ipsa continuis exercitijs, non quidem ex curiositate, vel propria oblectatione, sed ex spiritali feruore laborat, & ad inuestiganda occulta Dei consilia, vt illa perficiat: ad cognoscendum quoque secretissimas dæmonum insidias, & subtilissimas naturarum abductiones, vt illas rejiciat. Ex quibus tandem peruenire mereatur, vt cum Apostolo conuersans *in calis*, iam inferioribus in obliuionem traditis, peregrinas impresiones admittere nesciat, nisi quantum animarum salus exquirat, factus felicissimus ambidexter & speculum bifaciatum, in quo scilicet introuersionis & extrouersionis æqua promptitudo reluceat, vt patet plenius in tertiadecima industria. Et hoc est sextum signum electionis, quo Dauid, secundum cor Dei electus, erat eleganter insignitus, quia solius Spiritus sancti instinctu, sine omni exteriori ad-
mini-

miniculo, suam edidit prophetiam, & tam aperte, quod plus euangelizare videretur, quam prophetare.

Septima vis animæ dicitur memoratiua, vel nuda cogitatio, nos educens ad contemplationem supereminentem, prout videbitur inferiorius: quam qui veraciter adeptus fuerit, signum quoddam æternæ predestinationis, & manus æternæ fructus pragustauit. Quo scilicet Paulus electus, & ad supereminentem visionem admissus, fiducialiter ait: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Memoria
animæ ut
trahatur à
Deo.
Electionis
diuinæ si-
gnū VII.
Rom. 8.

D. HENRICI HARPHII
THEOLOGIAE MYSTICAE,
LIBRI III.
PARS QUARTA.

De congrua preparatione vitæ contemplatiuæ & superessentialis.

Cap. XXVI.

AMICE ascende superius. Luca 14. Eia nunc viscerosis affectibus processum vitæ contemplatiuæ superessentialis prosequamur: in qua nimirum ipsius viatoris suprema fructio & communicatio diuinæ largitatis consistit. Vnde dicit Psalmista: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum.* Statim enim subiungit: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Sicut enim Angelorum agminibus nos inferendos & assimilandos manifesta tradit auctoritas, sic etiam secundum quod hic profecerimus veris virtutibus, ita illic iuxta mensuram perfectionis iungemur cælicis spiritibus, & hinc quoque plerumque subleuamur diuinis illuminationibus. Et quia contemplatio superessentialis diuinarum illuminationum arcem obtinet, ideo multos virtutum gradus & propria mortificationis ascensus peragere nos oportet, vt sic debitam preparationem, præuiam ad illam eminentissimam illuminationem percipiendam, nostra peregrinatio compleat. Licet enim quibusdam necdum debitam per-

Psalm. 83.

Kkkkk + scdte

fectionem attingentibus hanc felicissimam illuminationem diuina largitas indulgere dinoscitur, quibusdam etiam ad tramicem vite perfectioris primitus aspirantibus, aut etiam in initio suae conuersionis, sicut Apostolo Paulo, *ad tertium caelum* raptus, concessum est benignitate largitoris, huiusmodi tamen (vt frequenter) post adeptam tantam diuinæ consolationis celsitudinem postmodum indicibilibus angustijs & tentationibus, etiam execrandis & pressuris spiritalibus vel corporalibus probare crebrius & examinare Deus asolet, sicut examinatur argentum, prout oculata fide in plerisque conspexi, quorum mirabilem diuinæ clementiæ prælibatam gratiam agnoscens, tantis pressuris postmodum frequenter agitari vidi, quod nec ore exprimi, nec in expertis (vt puto) vera credulitas ingeri posset. Nam Augustinus, & Bernardus, illorum pressuram infernali poenaltati non inconuenienter assimilare conati sunt, sicut tactum est in capite præcedenti. In cuius etiam argumentum de Paulo, in primordio conuersionis tam feliciter raptus, eodem tempore Dominus ait: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Quosdam verò alios, hanc præparationem præuiam humano iudicio viuaciter adeptos, & hanc felicem raptus excellentiam consecutos reperi: & tamen à Domino postmodum penè iugiter indicibilibus & multuarijs amoris & dulcedinis visitationibus circumplexos.

Et hæc quidem præparatio præcipuè consistit in purissimis affectibus propriæ mortificationis, quorum hic nouem gradus assignare curabimus, unicuique propriam illuminationem annotando. Primus ergo gradus propriæ mortificationis, quo felix amator à regionedisa similitudinis egrediens, ad diuinam similitudinem ingredi nititur, ad videndum Deum *deorum in Sion*, est illorum, qui iam in timore Dei fundati, sine mortali peccato viuunt. Nam sicut dissimilitudine à Deo recedimus, sic similitudine ad Deum accedimus. Quibus nimirum accedentibus consulit Psalmista, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestra non confundentur.* Sed horum, proh dolor, pusillus est grex, quia pauci sunt, respectiuè, quibus cælesti Patri complacuit dare regnum. Et horum illuminatio nubila est, quia vix mortalia plenè discernere & præcauere valent: cum quibus ait Psalmista: *Ill mina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.* Sufficit enim illis inimicorum manus euasisse: quia in sua illuminatione frigi-

2. Cor. 12.

Act. 9.

Mortificationis propriæ gradus nouem.

1.

Psalm. 33.
Mortalia peccata folium vitæ es.
Psalm. 33.

Lucæ 12.

Psalm. 12.

Frigidi remanent & delides, naturæ commoda requirentes, & in multis sensualitatem conuolentes, tantum in hoc contenti, quod mortalia cauere valeant. Quorum est vita periculosa, conscientia timida, conuersatio multis impugnationibus circumdata, & saluatio dubia, quia Deo & naturæ pariter seruire difficillimum est, vt in mortale præcipitium facile relabuntur. Vnde de eorum damnatione diabolus multum confidit. eò quod mundanis adhuc nimium implicati, & ad fauorem, laudem, honorem, proprium commodum, similiaque semper inclinati in omni conuersatione, quasi super oram infernalis abyssi gradiuntur. Quod si vsque in finem in bono perseverauerint, horribiles & diuturnas purgatorij pœnas exoluent: ex eò præsertim, quod in omnibus affectum venialium rescindere minimè curauerunt, pro bonis nihilominus respectiue præmia modica recepturi, vt pote peractis affectionibus & intentionibus imperfectis. *St.* inquit 1. Corint. 3. *Apostolus, cuiusquam opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem.*

Secundus verò gradus est illorum, qui diuinas inspirationes subsequentes, à sæculi vanitatibus se diligenter abstrahunt, consilia bonorum requirunt, quorum conuersationi se participes efficiunt, illud Psalmista considerans: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Et hi clariore luce merentur illustrari, qua scilicet incitantur, peccatorum occasiones subterfugere, Sermones & Ecclesiasticas frequentare, Confessiones puras crebrò facere. Cum quibus ait Psalmista ad Dominum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Hos tamen diabolus temptationibus aggrediens, in bonis operibus, & exercitijs arduis molles, & debiles reddit, ac somnolentos. Nam, quia criminalia, & manifestiora tantum venialia deuiant, diaboli laqueos, vt oportet, in minoribus non auertunt, qui dulciter eis ingerit de diuina bonitate confidentiam, & crassam promittit securitatem, eò quod propter Deum seculum sibi contempserunt se videntur, & similia: per quæ ducuntur in propriam complacentiam, & vanam gloriam tam subtilem, quam nec ipsi deprehendere queunt. Vnde etiam efficiuntur, vt frequenter, scioli, quasi nullius egentis auxilio vel consilio, multisque modis in vitiis spiritualia turpius plerumque relabuntur.

Tertius autem gradus est illorum, qui magis elongati ab illecebris sæculi, iam ardua frequentant exercitia corporalia, cum

II.
Inspiratio-
nes diuinas
subsequen-
tes.

Psalm. 17.

Psalm. 118.

Laquei dia-
boli occul-
ti.

III.

Psalm. 16.
Exercitia
corporalia
frequen-
tantes.
Psalm. 113.
Idem.

missa dicentes: *Propter verba laborum tuorum ego custodiui vias duras.* Hæc enim faciunt, vt euitent infernum, alleurent purgatorium, & gloriosius intrent celeste regnum, illud Psalmistæ subsequentes: *Inclinam cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Vnde merentur illam illuminationem percipere, quam David precatur adipisci, dicens: *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas,* scilicet in exercitijs corporalibus. Veruntamen diabolus eos excæcatos detinet, ne spiritualium exercitiorum excellentiam agnoscant, sed summam meritorum & virtutum in exercitijs corporalibus constituent, in fame, & siti; in frigore, & nuditate; in ieiunijs, & vigilijs; orationibus vocalibus, & eiusmodi: quomodo verò spiritualia debeant exercitia frequentare, propriæque mortificationi insistere, ac omnium virtutum verum fundamentum ponere, penitus ignorant, quasi virtutes opera reputantes, & pro dulci nucleo testam amaram masticates. Cæterum, hi suis demeritis adhuc amicorum & cognatorum carnalium, vel spiritualium, naturalem viscositatem velut licitam & debitam amplectuntur: quæ scilicet sollicitudine quadam superflua suis innituntur, gaudentes *cum gaudentibus*, stentes *cum stentibus*, ita quòd pro singulis eorum infortunijs ferè sollicitantur, sicque semper remanent diuersis involuti curis & perplexitatibus, ita quòd ad hominem interiorem peruenire non queunt, sed infinitis affectibus immortificatis & impuris, secundùm occurrentium vicissitudinem quatiuntur, *erga plurima turbati*, cum tamen *unum esset necessarium.*

Affectus a-
micorum
inordina-
tus quàm
sit noxius.

Lucæ 10.

IIII.
Exercitia
spiritualia
frequen-
tantes.

Quartus dehinc gradus est illorum, qui non solum ardua frequentant exercitia corporalia & exteriora, sed etiam spiritualia & interiora, mentalibus orationibus, dolorosis gemitibus, compatiuis affectibus, amorosis desiderijs, & similibus dediti, secundùm temporis vicissitudinem, & sancti Spiritus inspirationem, ad exprimendam vtique deuotionis dulcedinem, & experimentalem sensationem, quam in exercitijs suis præcipuè quæritant, potius oblectamenta propria, quàm purè diuina beneplacita cupientes. Et hi quidem in suo lumine gloriantes, & in suo dulcore quiescentes, desolatis, & sub sarcina penè deficientibus, quasi deridentes, illud Psalmistæ respondent: *Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiã in corde meo.* Hinc etiam præsertim in sua voluntate proprietarij remanent, à magis expertis nullam informatio-

Psalm. 4.
Proprietarij in sua
voluntate
æqui.

nem.

nam recipientes. Quod si Deus (vt assolet) in suis aspirationibus ab eis exigat omne quod sunt & possunt, cuncta plenis affectibus offerunt, & subire paupertatem, abiectiōem, exiliū, passionem, & mortem parati sunt. Constatbuntur autem tibi Domine cum benefeceris illis: sed subtrahere parum per gratiam, adijce desolationem, suscita confusionem, ingere persecutionem, & videbis, quod in facie benedixerint tibi, & iniquitas inmortificatæ voluntatis mentietur sibi, quia legati adhuc amore priuato, & retracti instinctu diabolico, voluntatem, quam obtulisse videbantur, in facibus occultissimæ proprietatis, ipsis etiam non aduertentibus, tractu naturæ subtilissimo permanere sinunt, potius affectantes, quod Dominus eorum voluntatem, quam ipsi diuinam exequantur.

Psalm. 48.

Iob 1.

Psalm. 26.

Quintus proinde gradus est illorum, qui in omnibus operibus, exercitijs, & conuersationibus propriæ voluntati in liberum Dei beneficium renuntiare student: sed quia nondum in his diu sunt exercitati, in hoc proposito, licet inuiti, sæpe vacillant, quia talis affectus per exercitiorum frequentiam, nondum est radicans, sicque spiritum inconstantia plerumque patiuntur: nunquam omnem proprietatem abdicantes, nunc in hoc proposito velut dubij vacillantes. In quorum persona dicit Psalmista: *Et dixi, Forstā tenebra conculcabit me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.* Quod si funditus affectu quodam irremediabili renuntiarent omni proprietati, aduersa quæque sicut prospera placida mente complectentes, & in humilitatis spiritu se diuinæ voluntati per omnia subiicientes, fructum copiosum suorum operum & exercitiorum prælibando mox perciperent; Deus enim illis semitas virtutum occultissimas, omnibus ferè ignotas reuelaret.

V.

Voluntati
propriæ renuntiantes
imperfectè.

Psalm. 138.

Sextus autem gradus illorum est, qui iam ex ingeminatis desiderijs & frequentatis exercitijs, omnem proprietatem Deo perfectè resignant cum plena perseverandi constantia: quia perfectè in ratione plenius illuminantur, ad agnoscendum, quod bonis omnia cooperantur in bonum, dicentes cum Psalmista: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vite mee, à quo trepidabo?* Veruntamen spirituales consolationem nimis auidè quarunt, per quam scilicet omnem aliam aduersitatem facillè sustinere poterunt. Hanc enim solam velut ex proprietate quadam intentius à Deo desiderant, intentione tamen fruitionis illius necdum ad ple-

VI.

Proprietatis
omnis
perfecta
renuntiatio.

Rom. 8.

Psalm. 26.

Consolationis
in
terna
gula.

non purificata. Quod ex eo cognoscere possunt, quia corde minime quietantur, donec ad concupitam pro voto perueniant. Hanc enim conuersionem à Deo petere, seruatis debitis circumstantiis & intentionibus, licet in se malum non sit, velut tamen quoddam imperfectum à vera puritate propriae resignationis desipit, quia defectum quendam occultissimum, & à paucis agnitiu contrahit, in eo quod secundum omnifarium diuinum beneplacitum in se Deum sine retractione cordis tam in aduersis, quam in prosperis operari non permittit. Quod tamen dignum agnoscant, in hac tamen sui-resignatione perficere non student, & ideo nec in alijs exercitijs, virtuosis operibus & virtutibus profectum percipiunt, eò quod occultas naturales inclinationes, & subtiles inordinatas affectiones ad plenum nec discernunt, nec agnoscunt.

VII.

Septimus porro gradus est illorum, qui vtraque manu, scilicet aduersitatis & prosperitatis, vtuntur pro dextera, dicentes cum Psalmista: *Paratum cor meum Deus*, scilicet ad prospera: *paratum cor meum*, etiam ad aduersa. Felix Job, qui probatus in vtroque dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sic nomen Domini benedictum.* Et hi quidem diuino beneplacito per omnia satisfacere cupiunt, tam in introversione, quam in extroversione, tam in intentione, quam in amore. Nam quocumque se vertunt, diuinam voluntatem exquirunt & sequuntur, sicut umbra per omnia sequitur motum intermedij. Vnde cum sponsa dicere possunt: *Sub umbra illius quem desiderabam sedis, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quia nimirum tales Deus multifarie donis suis & diuersis illuminationibus illustrat, nec eos nox ipsa praesentis aduersitatis obnubilat, utpote perfecte fundatos supra nudum amorem in quo non solum agere grandia, sed etiam pati ardua didicerunt. Quibus rectè dicit Propheta David: *Quia tenebrae non obscurantur a te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius, ita & lumen eius.* Hinc iam ordine debito supersplendentes illuminationes in intellectu à Deo percipiunt, quibus dicescit memoria, clarescit intelligentia, & inflammescit voluntas seu virtus amatiua. Sed quia praesertim incautis omnis abundantia periculosa est, his donis frequenter acceptis, occultissimis ignorantiae tenebris obscurati, partim abutuntur, in illis donis plusquam expedit, quiescentes, & propriam oblectationem diligentes, quod nec aduertunt, nec agnoscunt. *Quamdiu ta-*

Psalm. 107.

Job 1.
Aduersa &
prospera
aequaliter
suscipere.

Cantic. 2.

Psalm. 138.

diu tamen oblectationem naturæ suæ in his diligunt, tam diu ad arcem perfectionis pertingere non possunt. Sicque, dum abest, diuinā consolationem inordinatè non affectant; sed tamen dum adest, incautè degustant.

Octauus autem gradus est illorum, qui nihil in electione sua relinquunt, sed Deo se funditus in sacrificium medullatum offerunt, quicquid de eis facere disposuerit, in tempore vel æternitate, nullū viscum amoris vel attractionis in creaturis vel donis diuinis relinquendo. Quòd si terrena possideant, ab illis otiosi sunt & liberi, tanquam non habentes, & tunc illa licitè sine detrimento spiritus, secundum conditionem & statum ad suam necessitatem & aliorum subuentionem retinere possunt. Et isti vt frequenter potiora dona quàm ceteri recipiunt, quia Deus eis multa reuelat & ostendit, in imaginibus, formis, & similitudinibus, eò quòd Deo proximi facti sunt, licèt quibusdam nondum adhuc perfectis hæc eadem Deus communicare consueuerit, ad eorum graue periculum, nisi per hæc ad debitum inducantur profectum. Veruntamen vnum illis ex communi ordine Deus frequenter occultat, quò solos occultos filios visitare consueuit, contemplatione scilicet supereminentem, æternam felicitatem prælibantem, sicque coguntur in ipsa habitatione caliginosa subsistere, cum Psalmista clamantes: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Sed cur istis occultat contemplationem hæc gratissimam, nisi quia talibus illuminationibus assuetis, semper aliquid superesse viderit in donis vel reuelationibus, ad profectum tamen eorum vel aliorum nõ necessarijs, quod in orationibus à Deo desiderat? Multifarias etiam reuelationes susceptas affectu quodam proprietatis (licèt ipsis non aduertentibus) possidere gratulantur, cum tamen ab omnibus otiosi ac liberi esse debeant, quasi nihil tale percepissent, nisi tantum diuinam in eis dignatiuam largitatem admirantes, & illi gratias agentes, & ea, quæ profectui proprio vel aliorum conueniunt exequentes: alioqui quandam in eis relictam proprietatem ostendit. Hinc liquidò patet, quàm perfecte cunctæ proprietati mortificatum esse oporteat eum, qui ad contemplationem supereminentem ordine debito peruenire desiderat.

Nonus denique gradus est illorum, qui vigorosis suis exercitijs, & sursum actionibus propter amorem Dei totum sanguinem & medullam corporis sui penè consumpserunt, nec eis quicquam remansit vi-

LIII 3

rium,

VIII.
Resignatio
sui integra.

Contemplatio
supereminens quæ
solis præstetur.
Psal 17.

IX.
Abnegatio
sui perfectissima.

Filij Dei
occulti qui

1. Cor. 13.

Psal. 68.
Humilitas
perfecta fi-
lionis Dei.

* Alias vi-
sitationes.

Psal. 35.

rium, nisi quantum viuacitas spiritus subministrare poterit, utpote quorum sanguis quasi desiccatus, & calore diuino decoctus est, ipsis tamen propter excedentem feruorem ignoratibus. His autem Deus tanquam occultis filiis plenitudinem donorum & gratiarum infundit, & suam quandoque beatissimam claritatem communicat, ferè non in speculo & enigmatè; sed, ut quoad in hac vita fieri potest, quasi facie ad faciem Deum intelligant, licet in talibus minimè requiescunt, omnem propriam vtilitatem & oblectationem suppeditanes, & in sola cruce Domini Iesu per sequelam perfectam gloriantes: plus exoptantes omnem desolationem & abiectionem, quam consolationem & exaltationem, utpote fundati & consolidati in sola fide, charitate formata: charitate, inquam, nuda sine refrigerio consolationis omnem aduersitatem decertare cupientes, sicut Christus in cruce triumphauit in omnibus sola nuda charitate: quia Christi humanitatem in omnibus sequi, & eidem se conformare desiderant, in subtractione consolationis, & sustentia desolationis vniuersæ, dicentes illud cum Psalmista: *Improperium expectauit cor meum, & miseriam*. Quia in tanta sunt humilitate fundati, quod omni desolatione se dignos reputant, vniuersæque creature (sine fictione) aestimatione propria sese subternunt, & ab omnibus iniuriari ac vilipendi, omni que tribulatione vsque ad mortem circumuolui cupiunt, ut sic ductorem omnis desolationis patientissimum imitantes, dulcem Iesum, vsque ad turpissimam mortem crucis eidem se perfecte conforment. Verum licet huiusmodi didicerint in sola cruce Domini gloriari, nunquam tamen sua negligentia vel incuria diuinas * consolationes, influentias, operationes, attractiones, illuminationes, quoquo modo retardare vel impedire præsumunt, sed se secundum omnifariam administrationem diuinæ gratiæ tam intus, quam extra, pro posse & nosse, voluntaria & viuida instrumenta iugiter offerunt, ne de vitio ingratiitudinis arguantur: quia de eis præcinit Psalmista, dicens Domino: *Inebriabuntur ab ubertate domus tua, & torrens voluptatis tua potabis eos. Quoniam apud te est fons vite, & in lumine tuo videbimus lumen*. Cæteris verò temporibus, sicut quantum ad hominem exteriorem, semper querere debent abiectionissima, & ab omni humana consolatione destituta; sic quantum ad hominem interiorem, puram affectare debent Dei charitatem, ab omni consolatione nudam, & omni desolatione circumdatam, ita quod nunquam tantum pati possent, quin semper maiora pati propter Christum

Hum affectent, iugiter recolentes illam inexpressibilem angustiam, & desolationem spiritus & carnis Iesu in agonia sudorem sanguineum desudantis. Ibi namque nudus amor sine omni refrigerio spiritualis consolationis in tam horribili colluctatione, tam magnifice triumphauit, ut hominem redimeret, & per eandem viam subsequendum esse salubriter doceret.

De ornatu vite contemplatiue & supereminenti. Cap. XXVII.

Sicut dicit Doctor sanctus in tractatu de visione diuina essentia, perfectio cuiuslibet rei consistit in coniunctione eius cum suo fine: finis autem intellectus creati, est summum intelligibile, quod est essentia diuina. Vltima vero perfectio intellectus creati, est coniunctio eius secundum actum intelligendi. Res vero quaelibet intelligibilis est secundum id, quod habet de actu, & non secundum id, quod habet de potentia, ut patet per Philosophum nono Metaphysicæ. Et ideo cum essentia diuina sit purus actus, poterit esse forma, qua scilicet intellectus intelligit, & hæc erit visio beatificans, quia ad hoc, quod intellectus humanus, Deum per essentiam videat, oportet quod essentia diuina vniatur intellectui nostro, quodammodo ut forma intelligibilis. Forma vero non coniungitur perfectibili, nisi quando perfectibile dispositiones habet, quibus efficitur susceptiuum talis formæ, sicut corpus non vnitur animæ, nisi prius in corpore sint dispositiones convenientes ad animam suscipiendam. Hoc autem dispositiuum in intellectu, est lumen gloriæ, quo perficitur intellectus ad videndum Deum per essentiam. Hinc etiam ut ibidem dicit, in illa visione beatifica, licet ab omnibus videbitur essentia diuina, illam tamen vnus alio perfectius videbit: quod quidem non erit per aliquam similitudinem Dei perfectiore in vno quam in alio, cum illa visio non sit futura per aliquam similitudinem: sed erit ex eo, quod vnus intellectus maiorem habebit facultatem ad videndum Deum, quam alius: quæ facultas non competit intellectui creato per suam naturam, sed per illud lumen gloriæ, quod intellectum in quadam conformitate constituit: ita quod intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit. Plus vero participat de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia nimirum vbi maior est charitas, ibi maius est desiderium. Desiderium autem quodammodo desiderantem facit patulum, & aptum ad susceptionem boni desiderati. Et ideo qui de charitate plus habuerit, clarius Deum videbit, &

Perfectio
cuiuslibet
rei.
* Alias su-
preum.

Deo cur por-
fectius ab v-
no videatur
quam ab
alio.

bit, & perfectior, & beator apud eum in aeternum manebit. Hinc est quod vita contemplatiua in sacra Scriptura tantopere commendatur, & optima pars à Domino iudicatur: quia, vt dicit Richardus super tertiu Senten. dist. 35. *vidi illa*, in qua perfectius vigere potest actus diligendi Deum ex charitate, est magis meritoria simpliciter, sicut est vita contemplatiua, quia iugis contemplatio rei dilectæ, & purè delectari in re dilectâ, vehementer intendunt & accendunt actum diligendi. Verùm, vt cepta de ornatu ad vitam supereminentem clarius prosequamur, sciendum, quòd nemo arbitrari debet, ad hanc contemplationem peruenire se posse profunditate scientiæ, vel subtilitate intelligentiæ, vel quibuscunq; exercitationibus, quantumlibet arduis; sed solum, quem Deus sua gratuita largitate sibi suo spiritu vult vnire, ac lumine claritatis dignatur illuminare, is Deum contemplari poterit, & non alius. Vnde ad illam percipiendam, admodum pauci perueniunt, tum propter eorum inepritudines, quibus sese disponere & adornare dissimulant, faciendo quod in se est: tum etiam propter latibulum luminis, in quo eatenus contemplatur. Vnde etiam ad plenum nemo per cuiusvis scientiæ doctrinam, vel ingenij perspicaciam hæc, quæ dicitur sumus, intelliget: quia quicquid humanitus intelligi potest, vel edoceri, longè est infra veritatem, quam umbraticis verbis balbutire iam intendimus. Qui verò Deo vnitus est, & lumine veritatis huius illustratus, eam utique potest intelligere: quia sic intelligere Deum, est iam esse Deum cum Deo, & absq; omni alteritate intercedente, vel impedimento prohibente. Sed ne mireris sane lector vocabuli nouitatem. Propterea namque ait Dauid: *Ego dixi, Dignus estis, & filij excelsorum*. Verum tamen licet accessus luminis illius inaccessibilis nostræ facultati minimè subiaceat, ne tamen inueniamur ingrati, quòd iam nobis est, facere studeamus, & in aduentu Domini debitè semper adornati, appareamus. Et ideo fidelis amator, intima deuotione feruidus. Deum in quiete possidens fructiua, seseque in accedente dilectione operatiua, & omnem vitam suam in virtutibus cum iustitia directiua, plerunq; per occultam Dei manifestationem introducit, velut in Sponsi cubiculum, in vitam supereminentem, qua Deus sub lumine quodâ diuino videtur, & secundum eum modum, quo se Deus videt, citra tamen statum beatitudinis consummata: præsertim si in tribus diligenter se adornare studuerit.

vt homo
se præparet

Primum est, quòd extrinsecus sit in cunctis virtutibus bene per omnia or-

nia ordinatus, & intrinsecus ab omnibus intermediantibus efficaciter expeditus, ac in vniuersis actibus ad eum (quasi nil ageret) otiosus. Nam si intrinsecus est actu cuiuslibet virtutis occupatus, necessario consequens est actus illius imaginem in eius animo esse figuratam: & donec ita se habuerit, nunquam contemplari poterit: quia adornatio primò necessaria, & Deo magis accepta est denudatio perfecta trium virium intellectualium ab omnibus intermediantibus, vt sic anima cum suis viribus vna vni, & sola soli feliciter coniungatur.

Secundum est, vt Deo intrinsecus intentione dilectioneque cōiuncta fideliter adhaereat, amore diuino succensus instar ignis excalescentis ac inextinguibilis: & eo tempore contemplari poterit. Ad cuius euidetiam querit Doctor sanctus 1. 2. q. 29. Vtrum amor causat mutuum inhaesionem, vt scilicet amans sit in amato, & e converso, sicut in Canonica sua Iohannes affirmare videtur, dicens: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ad cuius solutionem adducit duplicem inhaesionis effectum, scilicet quantum ad vim apprehensiuam, & quantum ad vim appetitiuam, & secundum vtramque determinat amantem esse in amato, & e contra: de cuius prosecutione gratia breuitatis supersedeo.

1. Iohan. 4.

Tertium est, vt in excessu omnis modi, quadamque superintellektuali caligine sese perdat, sicut de inhabitatioe caliginosa prædictum est. In qua scilicet caligine cuncti verè contemplantes secundum fruitionis abyssum velut in solitudine aberrauerunt, nunquam sese humanitus inuenire valentes: in qua scilicet abyssò statim supereminens quadam incipit Dei apparitio, in qua & participatio vitæ videtur æterna, per quam & amans quisque fit videns. Et hæc quidem cōmuniō est via, licet alijs multis vijs & modis Deus hanc beatissimam fruitionem dilectis suis communicare tolet. Quæ scilicet visio perficitur in apice mentis per lucem & claritatem eminentem, quæ claritas datur in ipsa silenti spiritus existentia, vbi super omnia dona, & omne propriū creaturæ opus, spiritus in ipsa otiosa sui vacuitate, eam suscipit claritatem, ac in ipsa sui vacuitate per amorem fruitionum, spiritus perdit seipsum. Quia sicut occulta deitatis natura secundum modum personarū æternaliter contemplatur & amat; sic secundum essentia suæ vnitatē in quodam semper complexu fruitor personarum. In quo nimirum complexu deuoti spiritus vniuersi vnum cum Deo profundo amoris profluuiō protinus efficiuntur.

M m m m m

Vt au-

Vt lumen di-
uinum sus-
cipiatur
quædam ne-
cessaria.

Vt autem rudibus & simplicibus aliqua formula detur, qui se voluerit intima deuotione ad hoc lumen recipiendū disponere, & quod in se est faciendo, ad contemplationem supereminentem adaptare. Primum, cunctis se viliores reputando per abyssalem humilitatem Deo omnique creaturæ studeat se subdere, omnique proprietati funditus renuntiare. Et sicut umbra motui intermedij, sic voluntas sua diuino beneplacito per omnia debet coaptari, vt sic in eo libere & inuoluntate, Deus opus suum tam in aduersis, quàm in prosperis valeat operari, sicut de beato Patre nostro Francisco canitur: Hic creaturis imperat, qui nutui subiecerat se totum Creatoris. Affectibus quoque desideriosis vires suas superiores, & præsertim virtutem amatiuam ad influxum sui principij debet quasi per quandam violentiam ingerere, vbi perseueranter importuna quadam sedulitate pulsando, velut ad amici ianuam confidenter excubet, donec introducatur, & vsque in propriam deficientiam à Spiritu diuino feliciter agatur. Alioqui enim ipsam superinformationem diuinæ claritatis suscipere, vel inactionem illam eminentissimam velut impræparatè pati non meretur. Nam vires sunt quasi pedisequæ, reginam Esther, id est, animam ad interiora regalis cubiculi deducentes, & ante conspectum regis Assueri, id est, ipsius æternæ & diuinæ claritatis præsentantes. Cum igitur anima sic summis innixa viribus super omnia creata subleuata persistit, dilectique sui præsentia suauiter oblectata, tunc vires ab actualitate propria desistere, compelluntur, & inactionem diuinam feliciter patiuntur. Tunc enim subito sentit anima in fundo virtutis amatiuæ tantum quendam Spiritus sancti veluti fontem viuendum, fluentibus venis æternæ suauitatis: in virtute verò intellectuua, percipit supersplendentes illuminationes æterni solis, cum veritate diuina. Pater denique celestis eius memoriam denudat, & ab imaginibus vniuersis purificat, inuitans & trahens illam ad ineffabilem eius vnionis copulam. Et hæc sunt tres portæ, quas ipsa Trinitas animæ amorosè dignanter aperit, ad infinitissimum suum thesaurum contemplantum & agnoscendum. Ipsa verò anima vice versa cunctas vires exhibet ad offerendum suam totalitatem, & ad recipiendum illi: sibi præostensam infinitam totalitatem. Deus autem amatoriam quadam altercatione plerumque se denegans, ostensa conferre dissimulat, ita quòd anima concupitam affectionem adimplere non valet, quia nec se totam dare potest, nec Deum totum accipere; sed quanto plus dar &

Esther 15.

Portæ tres,
quas sancta
Trinitas a-
nimæ apre-
rit.

dat & accipit, tantò plus dare & accipere desiderat. Hinc etiam in se nimirum inquietatur, & amoris impatientiam patitur, quia nec Deum potest deserere, nec ad votum acquirere, nec profundare, nec inal- tare, nec comprehendere. Et ideo varias eius tempestates, quas illo tem- pore patitur, nec lingua valet dicere, nec calamus exprimere. Nam a- mor facit amantem nunc calidum, nunc frigidum; nunc pauidum, nunc audacem; nunc lætum, nunc tristem; nunc timidum, nunc spe- rantem; nunc confidentem, nunc desperantem; nunc ridentem, nunc lamentantem; nunc orantem, nunc laudantem: & innumerabilia sunt, quæ his contingunt, qui in amoris huius impatientia viuunt. Hæc ta- men est deuotissima & utilissima vita, quæ secundum modum & ra- tionem exerceri potest. Nam tota vita eius est dare seu offerre quic- quid est, habet, aut præualet, & à Deo exigere quicquid eius infini- tam magnificentiam misero peccatori dare condecet, se penitus per af- fectum & etiam effectum, iuxta status sui conditionem, dilecto con- formare in omnibus virtutibus & virtuosis actibus, secundum eius hu- manitatem: & denique quoridianis vigorosissimis & violentissimis quibusdam aspirationibus se dilecto, secundum eius diuinitatem to- taliter pro posse counire. Hæ sunt quatuor rotæ exercitiorum currus Israel, quibus quasi in tertium cælum animæ amorosæ subuehuntur. Veruntamen, aspiratio illa vniuersa, de qua superius satis dictum est, in ea maximè vigere debet & frequentari, quoniam illa maximè dedu- cit mentem ad complexum dilecti.

Amor ut
mutet amō-
rem.

Currus Is-
rael rotæ
quatuor
quæ.

Sed cum diuina liberalitas animæ amorosæ sese proflua pietate communicare voluerit, & vnū vnipenitus counire, tunc anima cum recta intentione, puro amore, & ineffabili anhelatione Deo adharren- te, & tamen plenam vnionem consequi non valente, spiritus diuinus eidem protinus occurrit velut ignea flamma stridens & incandesces ac exurendo intermedia quæque consumens & absorbens. Tunc ani- ma ab omnibus denudata, soloque spiritu diuino subacta, statim vna vni feliciter obijcitur & counitur, recto tramite procedens in ipsam nu- dam diuinitatis abyllum, omniumque exercitiorum oblita, se per- sentit quasi raptam & absorptam, ac in amore cum DEO spiritum v- num effecta. Hinc iā silent vires omnes, & sensus quietati sunt, ut pote satiati & inebriati fonte bonitatis & diuitiarū Dei: quia singuli plus re- cipiant quàm desiderare possunt. Et quod magis admirandum est, anima sic feliciter absorpta, velut oleum sese dilatans in vestimento diffundit,

Spiritus di-
uinus ut spi-
ritui creatō
occurrat.

M m m m 2 & aquæ

& aqua gutta in vino posita, sic illa deficiens in se, & diffuens in dilectum mirabilibus formulis sese dilatat in immensum, ut dilecti capax fiat, & cum eodem sentiat, *quae sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*. Quod etiam eisdem ferè verbis Apostolus consulit dicens: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.*

Cōtemplatio ut sit actus intellectus nō impediti.

Ceterum, quia contemplatio, secundum potissimum statum viatoris, prout hic sumitur, est actus ipse intellectus non impediti, scilicet per aliquam turbationem vel occupationem: gratia sanati, scilicet ab omni labe vitiorum & affectuum inordinatorum: in aeterna spectacula, scilicet per mentis extensionem immobiliter directi, ut cum fieri potest, nunquam intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis facies mentis inde flectatur: & in admiratione suspensione: de qua scilicet suspensione dicit Richardus de arca mystica, quod ex noivitate rei, quae est supra nostram estimationem, oritur admiratio; ex admiratione, crescit attentio; ex attentione, cognitio; ex cognitione, mentis suspensio: ita quod cum Psalmista dicere potest: *Oculi mei semper ad Dominum*. Hinc primò patet, quod contemplatio oritur ex intelligentia, quae est vis animae, quae immediatè supponitur Deo, quae de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur: & obtinet supremum locum, ratio verò medium, & imaginatio infimum. Cum igitur omnia, quae subiacet sensui inferiori, necesse est ea subiacere sensui superiori, & non econverso: ideo constat, quod cuncta, quae imaginatio vel ratio comprehendit, sub intelligentia cadunt, & etiam illa, quae nec imaginatio, nec ratio comprehendere possunt. Vnde late se radius contemplationis expandit, & acies animi contemplantis acuitur, ut capax sit ad multa comprehendenda, & perspicax ad subtilia penetranda.

Mēs cōtemplantis ut sit ab omnibus expedita.

Secundò patet, quod mens contemplantis erit ab omnibus occupationibus & turbationibus expedita, & ab omnibus vitijs, & inordinatis affectionibus emundata, alioquin Deus non videbitur sicut est, sed tantum in speculo, prout mentem illuminat plenius, vel remissius, pro sua libera voluntate, & mentis nostrae puritate. Non enim ipsum lumen corporeum aliquatenus videre possumus, si non aliqua ex parte lumen corporis nostri pro sua ingenita serenitate & perspicuitate, caelesti lumini simile fuerit; quia nullum aliud membrum corporis capax est luminis, ob multam utiq; dissimilitudinē: sic nec ipse

oculus

oculus noster, cum turbatus fuerit, lumen videre poterit. Qui ergo turbatus propter suam dissimilitudinem serenum solem videre non poterat, iam serenatus aequaliter videt, propter nonnullam oculi similitudinem. Quod si pari prorsus puritate vigeret, solem hunc inoffenso contuitu, sicuti est, propter omnimodam similitudinem aspiceret. Sic est intelligere de sole iustitiae, qui *illuminat omnem hominem* Ioan. 2. *venientem in hunc mundum*, & de oculo mentali: qui quantum proficit ad puritatem, tantum proficit ad agnitionis illius conspiciendam claritatem, id est, absconditam veritatem, sicut exultans in spiritu Iesus aiebat: *Confiteor tibi Pater Domine caeli & terrae, quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Matth. 11. *Cur hoc? nisi quia dilexerunt homines, scilicet mundi sapientes, magis tenebras quam lucem, & ideo excæcavit eos malitia eorum, quantumcunque fuerint literati vel ingenio præditi.* Lucæ 10. *Vnde etiam alibi dicit: In iudicium ego veni in mundum, ut non videntes videant, & videntes cæcificent.* Ioan. 3. Sapient. 2. Ioan. 9.

Tertio patet, quod iam purificata mens, erit in aeterna spectacula directa & admiratione suspensa. Alioqui oculus mentalis, licet purificatus, sua debilitate & dissimilitudine contemplari non poterit: quia dicit Lincconien. super Angelicæ Hierarchiæ librum: Quod sicut oculi carnis infirmiores, prius suscipiunt lumen solis obscurum & nigris coloribus superfusum: deinde magis confortati, suscipiunt illud à coloratis corporibus medijs: & postea visu roborato, suscipiunt illud albis coloribus superfusum: Deinde plus aucta sanitate, suscipiunt illud superfusum, fulgentibus utpote speculis: tandem autem oculis perfecte sanatis, suscipiunt solarè radii non alicui superfusum, sed in se solè purum in ipso puro solari radio irreuerberato lumine conspicientes. Sic oportet oculum mentis infirmiore prius assuescere ad conspiciendum solis iustitiæ lumen in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem ex ipsa luminis datione superinfusa multipliciter in simplicitatem ipsius radij tandem extendatur & restituatur. Ex quibus patet, quod tam in radioso lumine contemplationis speculatiuæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, per sedulam continuationem nos oportet paulatim & gradatim ascendere, & proficiendo Deum semper clarius agnoscere, donec oculus intellectualis magis, ac magis illuminatus & confortatus, affectusque mentalis magis ac magis purificatus & inflammatus, funditus per agnitionem & dilectionem in Deum transeat, totusque homo tam interior, quam exterior in Deum ordinetur.

M m m m m 3

De con-

Ut ascenda-
tur gradati-
m ad con-
templatio-
nem.

*De consurrectione in contemplationem supereminentem, quantum ad
duos gradus infimos Spiritui sancto appropriatos.*

Cap. XXVIII.

EXpediis utrunque his, quæ ad debitam præparationem & or-
nationem animæ spectant, quantum ad vitam contempla-
ti-
uam supereminentem, nunc ordine congruo de consurrectio-
ne & gradibus eius prosequendum est: qui scilicet gradus, tamen-
si infiniti esse possunt, prout Dominus infinita sua bonitate & ines-
tabili largitate singulis spiritibus, ipsi zelosa charitate iugiter adhæ-
rentibus, velut dispensator prudentissimus, administrare nouit, vni-
cuique pro captu, dignitate, dispositione, præparatione, & affectio-
ne, secundam ordinatissimam suam dispensationem, diuersis illu-
minationibus, reuelationibus, attractionibus, & visitationibus, in-
struendo, vel consolando, & iuxta qualitatem, differentiam, & va-
riationem exercitiorum spiritualium, in singulis operando: Ad no-
stram tamen quantulamcunque informationem, breuitatis gratia,
tantum sex gradus distinguere decreui, vnicuique personæ in diuinis
duos appropriando. Qui nimirum gradus seu differentie conuenien-
ter satis figurantur Exodi 19. & capitulis sequentibus, in his, quæ
Mosi contigerunt, iuxta veritatem historię, in monte Sina. Primò
enim cum multitudine filiorum Israel vidit Dominum à longè. *Erat
autem species gloria Domini velut ignis ardens super verticem montis in
conspectu filiorum Israel, qui scilicet iam Egyptum mundi huius e-
gressi fuerant, & in deserto squalido poenitentiam acceptauerant.*
Sed iubetur Moses ab illa multitudine se purgare & abstrahere, at-
que ascendere cum *Nadab, & Abin, & lxx. de senioribus* vsque ad ter-
minos montis, vbi *viderunt Deum* clarius, videntes *sub pedibus eius*
opus sapphyrium, & quasi calorem cum serenum est: nec tamen super
eos, qui erant in castris, misit manum suam, id est, non abscondit se ab
eis, sed videntes maiestatem Dei, & non ipsum, laeti epulabantur. Do-
minus autem iterum vocauit Mosen ad altiora & secretiora montis,
Qui assumpto tantum Iosue, transiit terminos constitutos, dicens
senioribus: Expectate hęc, scilicet in castris, & vsque ad terminos con-
stitutos. Operuitque nubes montem. Dehinc ad iussum Domini ite-
rum relicto Iosue in quadam montis planicie, solus ascendit in caligi-
nem, vbi perseverauit diebus sex. *Septimo autem die vocauit eum Do-*

Exod. 24.

minis

minus de medio caliginis. Tunc accedens Moses cum Domino loquebatur facie ad faciem, id est, valde familiariter, sicut loqui solet amicus ad amicum. Erat autem illic xl. diebus & xl. noctibus non manducans nec bibens, sed diuino tantum consortio confortatus & conseruatus. Necdum tali præsencia diuina contentus erat, sed ait ad Dominum: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Cui Dominus: *Facies mea praeceget te, & requiem dabo tibi.* Hoc autem petijt Moses, cum ascendisset in caliginem iam secundò, quia frequentia diuini confortij audaciam, familiaritatem, & fiduciam præstabat. Moses verò responsione diuina nondum contentus, secundò petijt, dicens: *Si inueni gratiam coram te, ostende mihi gloriam tuam.* Cui Dominus: *Ostendam tibi omne bonum,* id est, meipsum: veruntamen non beatifica visione, quia *non videbit me homo, & uiuet:* & ideo *non poteris videre faciem meam, sed est locus apud me, & stabis supra petram,* id est, Christum, qui est lux vera in anima nostra genita, sine qua luce, diuina essentia fruibiliber aspici nō potest. Et ideo dixit in Euangelio: *Ego sum ostium,* Ioan. 101. per quod scilicet vos transire oportet ad videndum Deum. Et hoc nō solum secundum humanitatem, sed etiam secundum diuinitatem. Vnde prosequitur, dicens: *Per me si quis introierit, saluabitur, & ingreditur,* scilicet ad diuinitatem; & *egredietur,* scilicet ad humanitatem; & *pasca inueniet* eterne suauitatis & satietatis. Sequitur: *Cumq; transibit gloria mea, ponam te in sinu amine petrae, & protegam te dextera mea, donec pertransiam,* id est, nubem ponam super te, quia tanta claritate Dominus pertransijt, quod humanus aspectus eam non sustinisset. Cum autē pertransiero, *tollam manam meam, & videbis posteriora mea,* id est, imperfectam visionem mei percipies. Nam à posteriori aliquid imperfectè cognoscitur. Vnde ad literam, cum longè pertransisset Dominus, sublata nube, iam à Mosè, velut à tergo, videri poterat. Iudaei namque tradunt eum vidisse posteriora hominis, & in occipite qualdam ligaturas. Sequitur: *Faciem autem meam videre nō poteris.* Secundum Augustinum tamen xij. lib. super Gen. quod ei nunc denegatur, postmodū liberaliter conceditur, quia Deum vidit per essentiam. In cuius argumētum dixit Dominus in libro Numerorum: *Ore ad os* Num. 127. *loquor ei, & palam, non per anigmata & figuras Dominū videt.* Et hæc quidem singula dulcius essent mysticis applicationibus adornanda: sed breuitati consulens, hæc deliciosis mentibus indaganda & ruminanda relinquo, sex tantum gradus ex omnibus, & differentias diuinarū

contemplationum in his præcipue figuratas exequens. Quorum duo primi Spiritui sancto & eius operationi specialiter ascribuntur: quem scilicet in ascensu nostro spirituali primùm attingimus, ut pote primam in ascendendo personam, prout superius latius dictum est.

Gradus primus contemplationis supereminentis.

* Aliàs cōsolationē.

Iob 28.

* Aliàs inactiones, aut exactio-nes.

Spiritum amantem tangi à spirita diuino.

Primus igitur modus & gradus contemplationis supereminentis figuratur in filiis Israel, desertum poenitentiae iam ingressis: qui tamen ut infimam diuinam * contemplationem percipere mereantur, prius à non puris purgari iubentur: nec id solum, sed etiam à licitis reuocantur, dicente Domino ad Moysen, Exodi decimo nono: *Vade, & sanctifica populum hodie & cras, in hoc scilicet, quòd lauent se & vestimenta sua, id est, purificent tam opera, quàm affectus: & ne appropinquent vxoribus suis, sed vacent ab earum amplexibus: Quia spiritus Domini non habitat in terris suauiter viuentium: & sic sint parati in diem tertium.* Die verò tertia audiuntur tonitrua, id est, spirituales * actiones Spiritus sancti: micant fulgura, id est, scintillantes inflammationes: sentiuntur terramorus, id est, ad litteram, agitationes corporales. Hæc enim sunt primordia gradus huius contemplationis. Cum ergo fidelis amicus introuersus sic se mundatum, & ab omnibus occupationibus intermedantibus liberum, & otiosum inuenit, ac eleuatum cor suum, patulum superius, & hiantibus affectibus, ad imensam Dei bonitatem, cum amore reuerentiali dulciter inclinatam, & exercitatum, secundum omne beneplacitum diuinæ voluntatis: ibi Spiritus sanctus eidem occurrit, veluti fons viuus, & profluus: in quo spiritus amans protinus expirando baptizatur, ut illic feliciter viuens inhabitet, vbi spiritus diuinus amanti spiritui proflua largitate tribuit aquas viuas donorum, & gratiarum, ut in eis mundetur ab omni peccato, & affectu inordinato.

Cæterum, Deus per gratiam suam in nobis habitans, & viuens, tangit spiritum nostrum suo digito, id est, suo spiritu, vicissitudinem amoris exigens, & dicens: Amate amorem, æternaliter vos amantem. Exactio verò vocis huius intellectualis, tantæ virtutis est, quòd interiora vniuersa amoris impetu commouentur, & omnes animæ vires affluentibus refluxibus, respondere coguntur: Abyssalem amemtis amorem, nos æternaliter amantem. Tunc se protinus cor amantis expandit anhelosis desiderijs: sequuntur vires sensuales ad Deum amore sensibili properantes. Sicque felix anima, scintillantibus aspirationibus viuida, ac supra seipam efficaciter eleuata, veluti regina quædam

dam amore flagrans, procedit cum intentione recta, cum gratiarum actione deuota, cum despectione, & conculcatione propria, cum obliuione plena sui, & omnium, quæ viam amoris aliquatenus impedire poterunt, donec feliciter ad præsentiam æterni amoris peruenerit: qui dulciter eidem ingerit, & docet exercitia perfecti amoris, hoc est, mutuum contemplationem, & aspirationem, inter nos, & Deum mutuum familiaritatem, & degustationem, placere, & complacere, in amorem liquere, & diffuere: vt merito pro his relinquere debeamus omnes amplexus suauitatis mundialis. Et hi quidem Deum contemplantur velut ignem ardentem, id est, bonitatem diuinam sentiunt velut abyssalem quendam, & incomprehensibilem ardorem æterni amoris.

Qui viribus vniuersis tam animæ, quàm corporis amoris sui guttum auidum infundit, inexpressibili dulcore cunctas inebrians. Et sic per sensationem corporalem anima consurgit ad sensationem spirituales, id est, rationalem: ac per illam consurgit supra rationem in sensationem diuinalem. Per sensationem autem diuinalem vterius trahitur, & absorbetur in sensationem quandam beatificam immobiliter stabilitam. Quæ sensio est nostra superessentialis beatitudo, id est, ipsius Dei, & omnium electorum eius fruitio. Deo quidem essentialis, omnibus verò creaturis supereminens. Et hic est ascensus in Deum per potentias affectiuas. Vnde cum tria prima in vnam vitam conueniunt, tunc in inferiori sensu est permagna delectatio: in medio sensu claritas, & opulentia, & abundantior delectatio: in supremo verò sensu est quedam diuina fruitio, per modum viæ ac sine mensura gaudium, & diuicia spirituales: vnde sensus diuinus sine mensura est supra sensum sensualem, & rationalem. Porro sensualis sensus hic capitur pro vnitatis sensitiva cordis nostri: quæ cum exaltatur, & ad Deum sensibili dilectione dirigitur, tunc est altare sacrificiorum nostrorum, in quo corporalem nostram naturam in ministerio diuino frequenter immolamus: semperque, dum natura nostra corporalis amore diuino contingitur, tunc præcordialem sentimus anhilationem, & aspirationem, ac simplex quoddam suspendium: qui sensibilis amor omnium nostrarum moralium virtutum decor est, & ornamentum: semperque per illuminatam rationem, & charitatem spiritualiter confouemur, excitamur, & innouamur: quæ scilicet duo sunt sensus noster spiritualis. Per quem sensum in omnibus obedi-

Ascensus in
Deum per
affectum
quis.

Sensus sen-
sualis.

Nnnn res su-

tes sumus, & unanimis Deo, cuncta opera nostra libertate quadam liberali spiritus operantes. Sed in sensu diuino, id est, supernaturali Deo sumus uniti supra rationem. In qua vnione diuinam possidemus sapientiam, libertatem, nobilitatem, & omne bonum sine mensura, per diuinam scilicet inactionem, & operationem. Ex qua nimirum inactione Dei nostra natura corporalis sic sensibili dilectione contingitur, vt amabiliter, & libere spiritui subsequatur. In qua subsecutio ne protinus mirabili sapore spirituali, & sensu perfunditur, & sic diuina libertati penitus adunitur.

Dirigi spiritum nostrum secundum fructum Dei. Fruitio essentialis. quæ.

Ceterum, ex vnione nostra cum Deo, spiritus noster ordinatè dirigitur secundum omnimodam voluntatem diuinam. Quam etiam natura nostra libere subsequitur, ebrietate spiritus allecta, quoniam ex hoc nobis prouenit sensibilis delectatio, & subiecta tranquillitas nature. Ex sensu denique beatifica, perfecta beatitudo nobis profuit. Est enim simplex quedam beata sensio, æternaliter quieta, stabilita, atque perfecta, eminentisque fructio, quæ fundamentalis requies est actualis fructio, nec vnquam commoueri poterit. In qua scilicet eminenti fructio, nullam spiritus inter se, & id quod amat differentiationem, & differentiam percipit. Quia Deus amoris ignis est infinitæ magnitudinis, & vnusquisque spiritus amans, & beatus, veluti carbo viuus, & ignitus, quem scilicet Deus in hoc igne amoris sui secundum sui totalitatem incendit, ita quod vnuerſi spiritus beati simul adunati cū Patre, & Filio, in vnitate sancti Spiritus hunc ignem immensum inextinguibilem, & insinabilem efficiunt. Vbi diuine personæ in vnitate essentia suæ per amorem conflantur in vnā infinitabilem abyssum simplicis beatitudinis. Vbi nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus, nec aliqua creatura, nisi quædam simplex essentia, id est, diuinarum personarum simplicissima substantia, vbi cunctæ creaturæ in suam superessentiam sunt absorptæ: vbi denique omnis fructio consummatur, & perficitur in essentialē beatitudinem.

Gradus secundus contemplationis superessentialis. Exod. 24.

Secundus verò modus, & gradus hanc contemplationem Spiritui sancto appropriatam perficiens, figuratur in eo, quod iussus est Moyses se à filijs Israel separare, & cum Nadab, Abin, & septuaginta senioribus ascendere, vt sic appropinquando, Deum clarius valeant cernere: quia tunc *sub pedibus eius*, velut opus sapphyrinum apparuit, & *quasi calum cum serenum est*. Per hanc enim approximationem figuratur profectus mentis ad mentis tranquillam serenitatem: quæ scilicet

felicitet in opere saphyrino, & celo sereno designatur. Nam cum introverfus quisque se libere, purè, totaliter, & efficaciter in amorem diuinum demergere didicit, vt in immensam Dei bonitatem absorbeatur, tunc à facie diuini amoris scintillat lux quædam momentanea, quasi de celo fulguregrediens: quæ protinus incidit in patulum domicilium cordis illius. Et hoc (vt superius dictum est) contingere solet ex mirando quodam amoris consuetu inter spiritum diuinum, & humanum, quo scilicet penetratiuis amoris iaculis pariter vulnerantur, & mutuis se fulminibus interlucent. In hac igitur luce spiritus Dei loquitur in nostro patulo & amoroso corde, voce quidem intellectuali, dicens: Ego sum tuus, & tu mea: Ego in te habito, & tu in me viuis: infinitaque familia, quæ diuinam vnionem, & amorem denotant. Cui & ipsa sine intermissione vice versa decantat vna vni, & tota toti, cum sponsa in Canticis dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cantic. 2. Et iterum: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Et hæc quidem sunt potissima, ad diuinum amplexum inducentia.

Cæterum, in occurfu lucis, & tactus illius in anima, & corpore, ac eleuato corde tanta voluptas, & spiritalis iocunditas resultat, quod nec scit hæc patiens, quid sibi acciderit, vel quomodo valeat digerere, & sustinere. Et dicitur proprie iubilus, qui nec potest exprimi, nec sciri, nisi per experientiam: sed viuit in amorosis cordibus soli Deo apertis, ac omnibus creatis obsecratis, & clausis. Ex quo nimirum exurgit spiritalis iubilatio, id est, cordialis amor, & feruida flamma deuotionis in diuinam laudem, & gratiarum actionem, cum summa ad Deum honoris reuerentia. Veruntamen, qui dulcedinem illam percipit, & in ea proprias oblectationes quarit, vltèrius viuaciter non assurgens, in diuinam laudem, gratiarum actionem, ac feruidam anhelationem, ad tantæ liberalitati vicem reddendam, omnino deceptus est, & ingratus. Qui verò fidelis est, efficaciter sese profundare non desinat, donec in infinitam abyssum æternæ suæ felicitatis absorbeatur, vbi inter Deum, & se differentiam inuenire nunquam poterit: præsertim cum huiusmodi testimonium certum in sese susceperit, Deum secundum suam totalitatem velletotaliter esse suum, secundum modum omnifarium desiderij sui. Ex quo nimirum in eo consurgit ingens anhelatio, & aspiratio flammivoma diuinæ fruitionis, & vnionis, secundum eius totalitatem, quoniam in vultus illius veritate patenter edocetur, id quod gustat, in comparatione residui, vix obti-

Nannn 2 nere

nere vnus guttulae quantitatem ad proportionem totius maris. Ex hinc profecto spiritus eius ardore vehementi concutitur, & amoris impatientia vires omnes coagitantur: quia quo plus degustat, eo plus appetitus augmentatur, eò quòd alterum alterius est causa: & sic incomprehensibili diuinitati iugiter inhiare cogitur. De cuius nimirum immensitate pascitur, licet non fatiatur: quia nec illam valet absorbere, nec comprehendere. Et ob hoc ardor in eius animo tam intemperatus efficitur, quòd ipsum amoris exercitium inter spiritum humanum, & diuinum vadat, & redeat more fulguris coruscantis. Et in hoc impetu vehentissimi amoris omnes actiones nostrae, rationem pariter, & modum excedunt, eò quòd amor excessiuis desiderijs anhelat ad impossibile, fauente sibi ratione, licet consilium, vel auxilium impendere non valente. Sic sic nimirum à Deo delectabiliter in amoris absorptionem introducimur, & sensim transformamur. Cùm autem Deo sic vnimur, remanet adhuc in nobis cognitio viuua, & amor actiuus. Quia sine se tu nostro Deum possidere non possumus, nec sine amoris exercitio Deo vniri, aut vnitionem seruare valemus.

Paradigma
ad praemis-
sa.

Denique, vt rudibus, simplicibus, & inexpertis hac euidentius pateant, per introductam similitudinem, accipe speculum concauum, & illud diametraliter radijs oppone solaribus: deinde adhibe ea, quae sua siccitate, vel natura ardore tenui citius incendi possunt. Ibi que per calorem solis in sua virtute lucentis, & ipsius speculi concauitatem, tandem inflammatio causabitur. Pariformiter in introversione nostrae, si reperimus cor viuuum, patulum, ac hianti desiderio ad Deum cum deuota reuerentia subleuatum, prorsus in illud diuinae gratiae claritas illucescit, igne diuini amoris conscientiam purgans, defectus vniuersos exurens, animamque vehementer incendens, & inflammans, donec tandem spiritus in aeternum amorem collapsus, sibi moriatur, & Deo viuat: ita quòd vnus amor effectus, nihil aliud, nisi amorem sentiat, ab omnibus amoris exercitijs liber & otiosus iam effectus, solumque patiens & recipiens simplicem diuinum amorem eius spiritum consumentem, ita quòd omnium obliuiscitur, vt pote funditus in amorem liquefactus, nec sciens seipsum, nec Deum, nec aliquam creaturam, nisi solum amorem, quem gustat & sentit, à quo possidetur in quadam simplici & nuda otiositate feliciter. Denique, licet hos duos modos operationis Spiritus sancti in animam contemplatiuam posuimus, ferè infiniti tamen sunt: de quorum diuersitate,

tate,

tate; quia multa dicta sunt in præcedentibus, ideo pro nunc gratia breuitatis superfedemus.

De resurrectione in contemplationem supereminentem, quantum ad duos gradus medios, celesti Filio appropriatos.

Cap. XXXIX.

Absolutis utcumque duobus primis gradibus vitæ supereminentis, Spiritui sancto specialiter appropriatis: hic de duobus medijs prosequamur, qui celesti Filio assignantur, ducentes ipsam animam ad supereminentes contemplationes. Veruntamen; ne ad impossibilia ascendere velle videamur, noranda est doctrina Sancti Thomæ, qui dicit secunda secundæ, quæstione centesima septuagesima quinta: Quod mens humana diuinitus rapitur ad contemplandam diuinam veritatem tripliciter.

Primo, vt contempletur eam per quasdam imaginarias similitudines, sicut fuit contemplatio ferè omnium Prophetarum. Nam visio prophetica non est visio diuinæ essentia, nec in ipsa diuina essentia videtur ea, quæ vident: sed vident in quibusdam similitudinibus, secundum illustrationem diuini luminis. Vnde dicit diuinus Dionysius 4. capite celestis Hierarchiæ, loquens de prophetis visionibus: Quod sapiens Theologus visionem illam dicit esse formam diuinam, quæ fit per similitudinem rerum, forma corporali carentium, ex reductione videntium in diuina. Et huiusmodi similitudines illustratæ diuino lumine, magis habent rationem speculi, quam essentia Dei, quoniam in speculo resultant species ab alijs rebus, quod non potest dici de Deo. Sed huiusmodi illustratio mentis prophetica pro tanto potest dici speculum, in quantum ibi resultat similitudo veritatis diuinæ præscientiæ. Et propter hoc dicitur speculum æternitatis, quasi representans Dei præscientiam, quæ in æternitate sua cuncta præsentialiter videt: & ex ipsa Dei præscientia veritas vltterius in mentem Prophetæ resultat. Secundum hoc enim, quod in Deo futura contingentia sunt secundum immobilem veritatem, potest imprimere menti Prophetæ similem cognitionem absque eo, quod Prophetæ Deum per essentiam videant: & talis fuit excelsus mentis, qui cecidit super Petrum, de quo plenius habetur in Actibus Apostolorum.

Ut mēs hominis contempletur veritatem diuinam trifariam.

Act. 10.

Secundò verò, vt diuinam veritatem per intelligibiles effectus con-

N n n n 3. tem-

templetur, sicut fuit excessus Dauid, de quo dicebat: *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*, & talis contemplatio nobilior est iam dictis. Vnde etiam dicitur eximius Prophetarum. Pro quo sciendum, quod reuelatio prophetica fit secundum quatuor, scilicet secundum fluxum intelligibilis luminis, vel secundum immissionem intelligibilium specierum, vel secundum impressionem seu ordinationem imaginabilium formarum, vel denique secundum expressionem sensibilium formarum, sicut rubus ostensus Moyse, & Scriptura ostensa Danieli. Ceterum, licet prophetia Dauid ex propinquo visionem attingit ipsius Moyse, diuinam essentiam cernentis, quantum ad visionem intellectualem, quia uterque reuelationem accepit intelligibilis & supernaturalis veritatis, absque visione imaginaria: visio tamen Moyse fuit excellentior, quantum ad cognitionem diuinitatis: sed Dauid plenius agnouit & expressit mysteria incarnationis Christi.

Tertio, ut eam contempletur in essentia sua, & talis fuit raptus Pauli, & visio Moyse. Ad cuius evidentiam sciendum, quod essentia diuina videri non potest ab intellectu creato, nisi per lumen gloriæ, iuxta illud Psalmista: *Quoniam apud te est fons vite, & in lumine tuo vidimus lumen*. Et hoc lumen dupliciter participari potest. Vno modo, per modum formæ immanentis: & sic Sanctos in patria beatos efficit. Alio modo, per modum cuiusdam passionis transeuntis: & sic lumen illud fuit in Paulo, quando raptus erat in *tertium celum*: in quo raptu fuit alienatus à sensibus. Nam essentia diuina per aliam vim cognoscitur ab homine videri non potest, quam per intellectum: sed humanus intellectus ad sensibilia non conuertitur, nisi medijs phantasmatis, quæ per species intelligibiles accipit: in quibus considerans de sensibilibus iudicat, & ea disponit. Et ideo in omni operatione, qua noster intellectus à phantasmatis abstrahitur, necesse est, quod à sensibus etiam abstrahatur. Cum igitur essentia diuina non potest per aliquod phantasma videri, nec per aliquam speciem intelligibilem creatam, eò quod excedat non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem naturam vel creaturam: hinc necesse est, quod intellectus hominis in statu viæ à phantasmatis abstrahatur, si diuinam essentiam videre debeat: ita quod cum eius intellectus ad altissimam Dei visionem eleuatur, totalis etiam illic intentio mentis aduocetur, & nihil aliud ex phantasmatis intelligat, sed totaliter in Deum feratur.

Secus

Secus tamen erit in spiritibus beatis, ipsam essentiam diuinam certantibus, eò quòd in illis erit redundantia quadam ab intellectu ad vires inferiores, & vsque ad corpus. Et ideo secundum ipsam regulam diuinæ visionis, anima beata phantasmatis & sensibilibus intendere potest. Deniq; propter hanc à phantasmatis abstractionem non est necesse, quòd à corpore anima separetur, vt eidem tanquam forma non vnatur: sed necessarium est intellectum abstrahi à phantasmatum & sensibilibus perceptione. Vnde etiam Paulus nec tunc, nec postea sciuit, an tunc anima fuerit in corpore, vel extra corpus. Et ideo licet in hac vita quis existat potencialiter, dummodò tamen non sit secundum actum, in quantum scilicet eius anima est corpori mortali coniuncta vt forma, ita tamen quòd corporis sensibus aut etiam imaginatione non vtatur, sicut accidit in raptu: sic huius vitæ contemplatio pertingere potest ad visionem essentiæ diuinæ. Vnde supremus gradus contemplationis præsentis vitæ est, qualem in raptu Paulus habuit, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum vitæ præsentis & futuræ. Cæterum supremum hunc contemplationis gradum communicari nunc etiam posse à Deo mortalibus hominibus, vt olim Moyse & Paulo, dubitandum non est, sed quòd vili communicetur, neque polliceri quis potest, neque temere quisq; debet asserere. Nouit hoc ipse solus, qui ad tantam celsitudinem solus potest mentes amicorum suorum, huius libuerit, eleuare.

His igitur ad informationem præmissis, tertium modum vel gradum supereminens contemplationis prosequamur, qui (vt dictum est) ipsi Filio conuenienter ascribitur, intellectum iungens affectui, vt simul coambulent vsque ad nouissimum intellectus. Et aptè significatur in eo, quòd tertio Dominus Moysen ad secretiora vocauit. Qui assumpto tamen Iosue, superascendit vsque ad ipsam caliginem, fideliter excubans ad Dominicam iussionem. Sic nimirum ad hunc tertium gradum aspirantes, solum per affectum purificatum & inflammatum, ac intellectum serenatum & clarificatum, Deo propinquare festinant. Et hic gradus iam prosequendus propriè speculatio vocatur, hoc est, videre in speculo: quia contemplantis affectus mentalis, viuendum speculum est, in quo Pater cum Filio spiritum tribuit veritatis, vt sic ratio clarificetur, & omnem veritatem agnoscat: quæ saltem intelligi potest in modis & imaginibus, in formis & similitudinibus, in quantum Deus ostendere velit, licet modum, in quo vide-

Grades & contemplationis supereminens.

Speculatio

tur diuina facies in nuda intelligentia & simplici cogitatione, supra rationem, & prater rationem, consideratio, vel ratio nequaquam attingere potest. Sicut à simili, nobilis aquila propter virtutem suam visum, fortissimam & clarissimam claritatem solis irreuerberatis oculis intueri potest: cui tamen oculus vesperilionis, propter suam debilitatem, cedere compellitur. Sic virtus intellectiua ipsius animæ, viuendum speculum est, in quo per suam gratiam Deus inhabitat, cui dedit Spiritum sanctum suum, & per eius claritatem oculus rationalis clarificatur, ita quod intelligere potest Deum & omnes creaturas in formis, imaginibus, & similitudinibus, in quantum Deus ostendere velit. Vnde præcipit illuminatæ rationi, quod ordinet & regat vitam suam sensualem in vera discretione virtutum, & adoratione hominis interioris, secundum omne diuinum beneplacitum: vt audire mereatur vocem Patris cælestis, dicentem: Aspice in me, vt agnoscens considerare valeas, vel ex parte quis & quid ego sum. Ad cuius exactiorem intellectualem anima penitus cum omnibus viribus exhilaratur. Et oculis intellectualibus iam apertis & clarificatis, illud videre desiderat, ad quod à Deo tam dulciter allicitur & inuitatur.

Tunc ostendens ei Dominus in viuido speculo virtutis intellectiua seipsum, non sicut est in natura, sed in imaginibus & similitudinibus, prout illuminata ratio comprehendere & intelligere potest. Nam sic illuminata ratio, à Deo sine errore clarè conspicit in imaginibus intellectualibus, omnia quæcunque prius audiuit de Deo, de fide, & omni veritate, quam scire desiderat. Imago tamen, quæ Deus est, licet ei opponitur, illam tamen capere non praualeat, sed quod oculum suum intellectualem incomprehensibili lumine cedere oportet. Quia tamen spiritu veritatis est illustrata, & vera sapientia prædita, Deum aspicit in imaginibus intellectualibus, quomodo scilicet Deus est summa maiestas, veritas, bonitas, pietas, charitas, sapientia, misericordia, iustitia, &c. Videt etiam differentiam personarum, & vnamquamque esse Deum omnipotentem. Videt quoque vnitatem diuinæ naturæ in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem naturæ. Videt denique fecunditatem in diuina natura, & vnamquamque personam esse Deum in vnitatem essentia. Quia ratio spiritu veritatis clarificata, Deum videt in proprio speculo, in tam multis modis, formis, & imaginibus, sicut excogitare potest, & videre desiderat. Nihilominus tamen virtus intellectiua semper inclinatur ad videndum quid sit Deus in

us in se, & quis sit: quoniam ad hoc à DEO dulciter allicitur & inuitatur, ita quòd anhelosis affectibus ingeminare cogitur anima cum Moyse: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum*, Exod. 33. scilicet supra similitudines & imagines reuelatum & nudum. Sed illic intellectus excubare cogitur, quia oculus eius ab immensa claritate reuerberatur & caligatur. Exultat tamen cum sponsa dicens: Cant. 2. *Sub umbra illius, quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Pro quo notandum, quòd tria sunt quæ causant umbram, scilicet lumen, medium, & obiectum. Christus igitur secundum diuinitatem lumen est, à quo scilicet Dei umbra causatur. Medium autem, ad cuius similitudinem hæc umbra compingitur, est huius humanitatis, per suæ gratiæ plenitudinem, suorumque meritortum abundantiam. Obiectum denique luminis, quod & umbra efficitur, est nostra voluntas, dum diuino lumini spontanea subiectione opponitur. Nam eodem momento, quo libera conuersione se ipsam æternæ beatitudini totaliter obijcit, in ipsis penetralibus spiritus nostri, Deus radios suæ perpetuæ lucis infundit. Cui lumini spiritus noster in Dei secretalibus cõnuitur. Et ex hac vnione plenitudo gratiæ nascitur, ex qua obediens voluntas velut umbra Dei generatur, semper mediantibus meritis Iesu Christi. Et tunc sic umbra mouetur, secundum omnem motum interpositi, à quo causatur, & ipsum quocunque præcesserit, comitatur: sic illa voluntas, umbra Dei iam effecta, spiritum eius & directionem intrinsecus per omnia subsequitur: & extrinsecus humanitatem Domini Iesu, eiusque doctrinam in mandatis & consilijs imitatur. Sic voluntas obediens, ubi diuinæ libertati & vnitati plenè se tradit, ibi ipsa Dei, & Deus eius umbraculum efficitur: quia Deus in ea, & ipsa in Deo suauiter habitat & quiescit: eò quòd alter æterna fruitione quadam alterius est complexus. Et hoc quidem in potentij affectiuis: sed in potentij cognitionis requiescit intellectus sub umbra dilecti, vt videbitur.

Quartus proinde gradus siue modus, hanc contemplationem appropriatam Filio perficiens, figuratur in eo, quòd Moyse à Domino vocatus, etiam relicto Iosue in quadam montis planitie, solus ascendit in caliginem illic perseverando sex diebus, donec à Domino rursus vocaretur. Sic nimirum anima felix ad visionem essentia diuinæ frequenter aspirans, & quod in se est actitans, à dilecto sapius ad idiplum inuitatur,

Ooooo

tatur,

Vmbra
causantia
quæ.
Lumen.
Medium.
Obiectum.

Gradus
quartus cõ-
templatio-
nis super-
eminens.

eat, veluti spiritu diuino illuminata suae rationi taliter respondeat, & intellectuali voce dulciter ingerere: Respice in me, quis ego sum, & quid. Tunc cōfessim simplex oculus amatiua virtute subiectus, cum intuitu simplici in diuinam claritatem respicit omne, quod Deus est, vniformiter, & eam sequitur oculus intellectualis in eodem lumine, scire volens & inuestigare quid sit Deus, aut quis: sed ante conspectum Domini ratio deficit, & omnis consideratio cum differentia & discretionem. Virtus autem intellectiua protinus in modum modi nesciunt eleuatur, ita quod intuitus eius sit sine modo, nec sic, nec sic, nec hic, nec ibi firmatur, sed omnia quodam modo sine modo completitur, eod quod eius intuitus, ei superexaltatus & superdilatus est, ita quod nescit vbi respiciat, vefati vagabunda & errans. Nec quidem intuitum reuocare potest: quia totus est ab eo diffluens, sine modo, sine fine, ac sine reuersione: quia quod capere desiderat, adipisci ad votum non potest.

Virtus amatiua.

Porro, licet intellectus cum Iosue remanet foris in planitie, virtus tamen amatiua superior, (quae sicut intellectus ad notitiam, sic ad gustum ipsa diuinitis inuitatur) amoris impetum prosequi cupiens, efficaciter progredi non fatiscit. Ipsa nimirum solius fruitionis (quae gustui magis debetur, q̄ visui) delectatur amplexu. Et ideo cum Moysē ipsam caliginem intrare festinat. Cum ergo nos ipsos sic excedimus in ipsam caliginem, & inscrutabilem modicarentiam, ibi continuo lucet simplex radius diuinae claritatis, in qua fundati sumus. Quae protinus nos ex nobis ipsis trahit in ipsam sui superessentiam, & amoris absorptionem. Cui scilicet amoris absorptioni simul adhaerens est, & cōsequens, iuge amoris exercitium modo carens, eod quod amor otiosus esse non potest, sed scitu pariter & gustu scrutari nititur, inscrutabiles diuitias in suo fundo viuentes. Et tunc virtus intellectiua prope remanet, sedens sub umbra illius, quem desiderabat, sicut in praecedenti gradu virtus affectiua. Quia magna differentia est inter claritatem beatorum, & illam, ad quam noster intellectus nunc attingere potest. Nam umbra Dei duntaxat nostram modo solitudinem illustrat: sed illis est semper eterna claritas, & umbra nulla, licet idem sol, & eadem claritas vtrūque perficit. Nam quia beatorum status peruius est & gloriosus, ideo remoto omni medio, claritate gloriosam percipiunt. Status verò noster adhuc mortalis est, & rudis, & hoc est medium illud, à quo causatur umbra, nostram intelligentiam sic obnubilans, quod caelestia tam clare, sicut

Status viatorum cuiusmodi.

resicut beati, videre non possumus, sed, secundum Apostolum, *videmus nunc per speculum in enigmate*, id est, umbra: *tunc autem facie ad faciem* sicuti est: & tunc similes ei erimus. Veruntamen hæc umbra in tantum ab hoc solari lumine perlustratur, quod discere valeamus virtutum perfectam discretionem, & omnem veritatem nostro mortali statui necessariam. Quod si solari claritati contineri desideramus, necessarium est nos subsequi, & egredi nosmetipsos in modicam tenebram: ut sic oculis intellectualibus excæcatis, sol ipse iustitiæ simplicem oculum nostrum trahat in suam claritatem, ubi cum Deo perfectam possidebimus unitatem.

Sic sentire, & intelligere, est vita contemplatiua, nostro nunc statui conueniens. In qua sedule cum sponsa dulciter experere debemus: *Indisambibi, quæ diligit animam eam, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, hoc est, in lumine gloriæ, quia nos adhuc positi sumus in lumine, vel potius in umbra lucis maturinæ, licet se sponsa sub hac umbra sedisse gloriætur, ubi & fructus dilecti gusturi suo dulces fuisse perhibetur. Nos autem quando fructum illius degustamus, nisi quando Deum nos intrinsecus tangere sentimus? quia suum contingere, est suum cibare. Nam in contactu suo deficiunt omnes vires animæ: & sedemus sub umbra Dei, cuius fructus, id est, Filius, quæ Pater in nostro gignit spiritu, gustui nostro spirituali tam infinite dulcis est, quod eum nec glutire, nec in nos mutare valemus: sed nos in se sedulis vicibus intrahens, mutat, & absorbet: & inde modus ille modinescius exurgit. Et hæc quidem accitatur, ipso sole iustitiæ simplicem oculum nostrum in suam claritatem attrahente. Vbi Deum, & omnia sine discretionis differentia simplici contuitu in diuina claritate contemplatur: quod proprie pertinet ad quintum gradum, sicuti mox videbitur. Et hæc est dignissima & vtilissima contemplatio, ad quam in hac vita perueniri potest: quia in ea contemplatiuus sui melius potens permanet & liber. Potestque in quolibet amatorio introgressu in altitudinem vitæ, ultra omnem intelligentiæ captum proficere: quia in interno seruore suæ deuotionis, & virtutum exercitijs, liber & sui potens permanet.

De resurrectione in contemplationem supereminentem quantum ad duos gradus supremos, caelesti Patri appropriatos. Cap. XXX.

Vltis iam de quatuor modis & gradibus vitæ supereminentis, duobus Spiritui sancto, & duobus ipsi Filio assignatis: hic pro felici

Gradus cō-
templatio-
nis superē-
mentis.
quartus.
Exod.33.

Jacob. 1.

Sapient. 7.

felici clausula præsentis opusculi, duos supremos ipsi Patri caelesti specialiter appropriandos prosequamur: ut sic ad originem personarum, & principium omnium rerum, finemque beatitudinis nostræ feliciter conuertamur. Quorum primus modus, & in ordine priorum quintus, in eo conuenienter figuratur, quod Moyses in caligine cum Domino quidem familiariter loquebatur: sed tamen in hoc minime contentus, orabat, dicens: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Cui Dominus: *Facies mea præcedet te.* Et rursus Moyses: *Ostende mihi gloriam tuam.* Cui Dominus: *Ostendam tibi omne bonum, id est, me ipsum.* Verum tamen non in claro contuitu, sed *posteriora mea videbis*, id est imperfectam cognitionem consequeris. Sic etiam gradum hunc consequentes, simplici puritate spiritus per amorosam reuerentiam & claram intelligentiam in Deum eleuati, nuda ac reuelata facie in præsentia diuinæ maiestatis, deuoto familiarique colloquio, ac confidentia perseverant, sibi faciem illam amabilem ostendi flagitantes. Tunc caelestis Pater, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, à facie sua lucem quandam fulgidam ac simplicem emittere non desistit in intimum apicem suæ simplicis ac nudæ cogitationis eleuata supra sensum & imaginationem, supra rationem & præter rationem, in eleuata scilicet puritate Spiritus sui. Porro, lumen istud non est Deus, sed est præuia lux quædam intellectualis, quam nec sensus, nec ratio, nec natura, nec consideratio capere valet. Est, inquam, quoddam clarificarum mediū inter nos & Deū, quod nobilius & superius est omnibus à Deo in natura creatis, utpote ipsius naturæ perfectio. Nostra verò simplex & nuda cogitatio, speculum viuidū est, in quo lux ista resplendet, exigens à nobis cōformitatem & vnionē cum Deo, in quo viuendo speculo viuunt Deus in nobis cum donis suis & gratia: nosque viuimus in eo per virtutes & opera bona. Præterea, lumen istud dicitur *candor lucis æternæ*, quod speculū requirit sine macula. Dicitur etiā spiritus Patris, in quo scilicet ostendit se Deus simpliciter, & non secundum differentiam vel modum personarū, sed in nuditate suæ naturæ & substantiæ. Pater enim caelestis denudans memoriam à formis & imaginibus, ipsam nudā cogitationem vel memoriam eleuat in suam originem, id est, in seipsum, ubi stabilitur & vnitur suo principio, id est, Deo. Ceterum, in hac luce loquitur spiritus Patris in cogitatione nostra nuda, simplici, & eleuata. Respice in me. Tunc spiritus tam dulciter inuitatus, confestim simplicem oculum intelligentiæ suæ aperit per infusam sibi

ſam ſibi lucem ſimplicem Patris: & ſic feliciter contemplatur eius faciem, id eſt, diuinam ſubſtantiam vel naturam in ſimplici contuitu ſupra rationem, & præter conſiderationem. Non tamen prout eſt in ſua ineffabili gloria, ſed prout ſibi placuerit oſtentare ſe vnicique, iuxta modum collati luminis. Denique, lux iſta contemplatiuis ſpiritibus veram agnitionem tribuit, quòd Deum vident, ſicuti in hac vita videri poteſt ſecundùm ſtatum viæ. Sic per amorem ſupra rationem vſque in oculum noſtrum ſimplicem noſ ipſos eleuare debemus, vt ita ſubleuatus ſupra rationem & præter rationem oculus noſter, in quendam nudum & ſimplicem intuitum ad faciem Patris ſemper aſpiciat. Vnde ſicut *Angeli*, in miniſterio noſtro poſiti, propter hoc non impediuntur, quo minus *ſemper faciem Patris* aſpiciant; ſic oculus animæ ſimplex, nihil ſibi obijcit, præterquam imaginem illam, quæ Deus eſt, vbi Deum videt & omnia, prout cum Deo vnum ſunt, ſimplici quodam intuitu, & hoc illi ſufficit. Quod propriè dicitur contemplatio, hoc eſt, Deum videre ſimpliciter & vniformiter: cuius claritatem iam in ſe natam inuenit. Eſt enim ipſa claritas imago Dei, ſimplicem oculum noſtrum transformans, & nobis Deum, licet ſub vmbra quadam, oſtendans, imperfektamque cognitionem ingerens: quia nullam aliam imaginem oculus ſimplex requirit. Porro, diuinam imaginem totam indiuiſam & integram recipit, quam etiam per ſeipſam cognoſcit, vbi illam ſuſcipit. Et in hoc terminatur iſte modus contemplationis. Nam vbi plenè transformamur in claritatem ſuam, ibi noſtri obliuiſcentes, vnũ cum Deo efficiamur, prout videbitur in vltimo gradu.

Denique, licet hæc immenſa claritas oculum rationalem (vt dictum eſt) reuerberat & caligare facit ſupra rationem, tamen oculus ſimplex ſemper manet apertus aſpectu puro ac nudo, lumen illud cum eodem lumine contemplari non deſinens. Et ibi quidem oculus oculo, ſpeculum ſpeculo, & imagini imago obijcitur. Cum hiſ enim tribus deformes efficiamur, & vniti Deo. Nam in illo ſimplici oculo felix anima, quali viuudum & puriſſimum ſpeculum effecta eſt, ad imaginem diuinam glorioſius imprimendam. Deus autem imaginem ſuam, id eſt, diuinam claritatem ipſi ſpeculo animæ tam proſua largitate ſecundùm ſui totalitatem imprimere dignatur, quòd nullam aliam claritatem, vel imaginem recipere præualet, ſicut ſpeculum concauum rotæ ſolari diametraliter ſuppoſitum. Cæterum, claritas iſta non eſt medium inter noſ & Deum, ſed eſt idipſum quod videmus, & lumen

Ooooo 3 quo

Math. 18.

Contem-
platio pro-
priè dicta.

Vt homo
fiat dei-
formis.

quo videmus: sed non est oculus qui videt, quia licet imago Dei speculo ipsius animæ sine medio coniungatur, minimè tamen imago speculum efficitur: sed vnico illius imaginis in speculo, tam excellens est & nobilis, quòd anima conuenienter imago Dei nominatur.

Fructus regni diuinæ claritatis animæ amorosi affectu.

Denique, cum regnum suum Dominus amorosè animæ sic ostendere dignatur, super omnem lucem creatam in quodam immenso lumine diuino, protinus triplicem fructum ibidem consequitur. Primus fructus est immensa claritas, quæ causa est & origo totius claritatis, tam in actione, quam in contemplatione. Hæc igitur claritas intellectiue virtuti tanti saporis est, quòd seipsam profundans, immergit in illam claritatem, & cum immensitate luminis eius, vnum efficitur. Cum enina hanc claritatem nobis ostensam sine intermissione subsequimur vsque in eam (ex qua orta est) abyssum, tunc nihil aliud sentimus, quam a nobis expirare, ac sine reuerfione demergi & absorberi in infinita diuinæ claritatis abyssum. Secundus fructus est, amor incomprehensibilis, totum animæ regnum vigorosè perfluens, secundum exigentiam & capacitatem virium illius. Facit enim animam ardore suo liquefcere in quendam simplicem eminentem amorem: sentitque se latitudinem quandam effectam cum amore, quæ sine mensura est, omnia complectens, & semper manens incompleta. Per claritatem autem prædictam tam immensam, & hunc amorem incomprehensibilem, anima per fluxa funditusque penetrata, venit in quendam beatificam fruitionem, qui tertius fructus est. Hæc autè fruitio tam immensa est, quòd Deus, & omnes Sancti, ac anima tam feliciter eleuata in illam fruitionem profundantur & absorbentur in quendam inscientiam & æternam sui absorptionem, in qua summus sapor æternæ dulcedinis experitur, vt sic anima sapiat & agnoscat, *quoniam suauis est Dominus*. Hic enim sapor tam immensus est, quòd animæ gustanti videtur ab illo cuncta creata simul eliquari posse: qui totalem animæ regionem perfluens inundare facit. Virtus igitur intellectiua claritatem illam æternam aspicit. Vnde tantæ deliciae defluunt, subitoque ab eadem immensa claritate transformata, sine intermissione contemplatur incomprehensibilem vbertatem æternæ beatitudinis. Hinc etiam confurgit in ea consideratio quædam illuminatæ rationis, licet veraciter agnoscat, quòd illas incomprehensibiles delicias nunquam intelligere valeat, eò quòd ipsa gaudium immensum luce creata considerat: & ideo in sua consideratione deficit. Multo tamen subtilius solito

Ita ratio creaturaliter in luce creata considerat, ut in subtilissimis imaginibus, & operibus affluentissimis illius superbenedictæ Trinitatis se letificando reficiat: ex quibus scilicet dilectum considerat esse tantæ immensitatis, quod nunquam à creatura plenè comprehendi poterit.

Talis igitur contemplator ambidexter esse debet, suam cogitationem possidens, velut rex præpotens regnum suum, ut scilicet per ipsam cogitationem ad omnes virtutes sine intermissione se declinet, gerens similitudinem secundæ bonitatis diuinæ naturæ, semper effluentis secundum personalitatem cum donis suis ad omnes creaturas. Ac eadem cogitatione sine intermissione semper eminenter immaneat, ut in illam abyssalem claritatem continuè feliciter transformetur, similitudinem gerens diuinarum personarum, quæ singulis momentis refluit in illam abyssalem diuinitatis essentiam, & fruitione felicissima absorbentur. Sic & huiusmodi stare debet inter fruitionem, & operationem semper essentialiter immanens, & inhærens per influxum in requiem fruitiuam, semperque se profundans in suum nihilum, id est, in diuinitatis caliginem, quæ est summa beatitudo Dei, & Sanctorum eius. Et sic transformatur à claritate creata in claritatem increatam, per æternam suam imaginem, id est, per Patris Sapientiam, quæ est imago, & exemplar omnium creaturarum. In qua scilicet imagine viuunt omnes creaturæ, tam spirituales, quàm corporales: per hanc etiam imaginem effluunt omnes creaturæ in suam creatam essentiam, Dei similitudinem recipientes. Veruntamen iste felix ambidexter maiorem in hoc cæteris Dei similitudinem præfert, quia cum omnibus etiam virtutibus effluit, Dei similitudinem gerens, qui largiter effluit cum omnibus donis suis, & iterum immanens influit in æternam fruitionem, super omnia dona cum Deo vnum effectus. Et ideo dicitur persona communis in utroque, scilicet promptissimus, & edoctus, ac summa nobilitate clarificatus.

Sextus denique modus, & gradus hanc contemplationem celesti Patri appropriatam perficiens, in monte Sinai, à Moysè deuorè petebatur, dicens: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi gloriam tuam.* Et quod tunc impetrare non potuit, postmodum adipisci meruit, ita ut verè dicere poterat: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti latitiam in corde meo.* In hoc gradu si constitueretur quispiam contemplatiuus, diuinam claritatem sine aliquo intermediante suscipiet, ita quod sine intermissione fie-

Cōtemplator verus cuiusmodi esse debeat.

2. Cor. 4.

Gradus sextus contemplatiōis superessentialis. Psalms. 4.

ret eadem claritas, quam suscipit: & sic videns efficeretur in lumine penitus deiformi. Qui sic feliciter illustratus, æternum, & incessabilem affluxum dilecti sui conspiceret se sua claritate beatifica perfluentem. Quia nimirum abyssus, ex qua claritas illa radiat, quæ & ipsa claritas est, viuida pariter, & fecunda est. Et ideo æterni luminis apparitio in abscondito spiritus absque cessatione renouaretur. Et quia felix influxus illius constat in æterno (nunc) sine tempore, qui nouo semper appetitu, & gaudio, iugiter susciperetur (cuius etiam vbertas deliciarum quam secum afferret, inscrutabilis est, & immensa) ideo nimirum oculi spiritus, quibus dilectum immanantem aspiceret, adeo patuli facti essent; quod nunquam clauderentur, sed contuitus arcane manifestationis Dei maneret æternus: capacitasque spiritus in illius affluxu tanta amplitudine mox expanderetur, quod eadem, quam capit, amplitudo protinus efficeretur. Sic ergo Deo mediante comprehenderetur, & videretur, in quo tota nostra consistit beatitudo. At verò nulli omnino hominum hunc gradum contemplationis promittimus, neque promittere possumus, quod singularissima priuilegia Sanctorum ad regulam trahenda non sint, quamuis neque etiam Dei liberalitatem ac benignitatem valeat ratio humana metiri.

¶ *Salto. 17.*

Consurge nunc, o anima deuota, gressibus contemplationis, & fruitionis æternæ ad omnimodam dilecti conformitatem, quia diuitias vniuersas, quæ in illo naturaliter sunt, nos in eo, & ipse in nobis mutuo amore possidemus, quoniam in illius summa charitatis complexu cuncta desiderabilia plenè faucibus degustamus, eò quod illic spiritus noster complexu quodam constringitur beatissima Trinitatis, immanens in ipsa supereminenti vnitate, felicique fruens quiete. Verùm, ipsa simplex abyssus exemplaris nostri, ponit semper *re-nebras latibulum suum*, omnem modum prorsus excludens. Sed immensa claritas ex eo radians absconditum Dei in modum producit, & manifestat. Vniuersique sublimati supra suam creationem, in altitudinem vitæ contemplatiuæ cum hac deifica claritate vnum fiunt, imò ipsa claritas ipsi sunt. Inueniuntque se per hoc deificum lumen eandem esse simplicem diuinitatis abyssum, ex qua claritas diuino modo relucet, & in qua, secundum simplicitatem essentia, perpetuè sine modo simplex intus manet. Vnde intimi contemplatores intellectuali contuitu confurgere debent, secundum modum contempla-
tionis,

tionis, supra rationis discretionem, & supra suum esse virtute luminis, diuinitus generati, vt sic de *claritate in claritatem*, tanquam à Domini spiritu transformentur, & cum eo lumine, quod vident, & quo vident, vnum fiant. Veruntamen progressum practicum illius mirabilis transformationis, in qua spiritus noster sic à diuino spiritu feliciter agitur, vt illam nobilissimam filiationem æternæ lucis sortiatur (quia *qui spiritu Dei aguntur, filij Dei sunt*) penitus reticere statui, ne Rom. 8. temerariè videar irumpere velle, discutiendo illa secretissima diuina mysteria: hoc ipsum duntaxat experimentalibus contemplatoribus ruminandum relinquens, vt reliquæ cogitationum diem festum agant sibi. Scio nanque qui dixit: *Qui scrutator est maiestatis, opprime-* Prou. 25.
tur à gloria.

Cum igitur in hac transformatione felicissima, sic finem Patris per Filium in ipsa spiritus sui deiformi lympiditate possederit anima, tunc feliciter lumine diuinæ veritatis illustrata, æternam Filij generationem semper in se nouam singulis momentis suscipiet. Et iuxta modum luminis, in diuinam contemplationem, per amorosam con-
surrectionem exierit. Inspiciat ergo Patrem, veluti viuendam Trinitatis originem, cum omnibus in se viuentibus in Filium, quasi in æternam suam Sapientiam actiue conuersum. Inspiciatque eandem Sapientiam, & vniuersa in ea viuentia, in Patrem, velut in principium suum, vnde ab æterno originatur, actualiter reflexam. Ex occurſu vero Patris, & Filij tertia procedit in Trinitate persona, scilicet Spiritus sanctus, amor, & nexus amborum, vnum eisdem identitate naturæ, qui Patrem, & Filium, cunctaque in eis viuentia tanta diuitiarum, & gaudiorum immensitate tam actiue, quàm fruitiue penetrando complectitur, quod vniuersas creaturas hinc æternaliter filere oporteat. Quia incomprehensibilia, & miranda, quæ in amoris huius infinitissimo thesauro sunt contenta, omnium creaturarum intellectum in infinitum excedunt. Sed vbi hæc ipsa sine admiratione aliquæ gustantur, & intelliguntur, ibi spiritus supra seipsum translatus, & in vnitatem viuide abyssu Deo totaliter vnificatus est, gustans, & videns immensas diuitias, quæ Deus est, & hoc sine obumbratione vicissitudinis. Quia Pater, & Filius, æterno beneplacito, & amoroso complexu in alterutrum sese transfundunt: & hoc æterno amoris nexu iugiter renouatur. In quo nimirum amore perpetuo sumus & nos per Spiritum sanctum amabiliter circumplexi. Qui scilicet complexus in suo fun-

Generatio
diuina, vt
fiat semper
noua in a-
nima.

Ppppp

do frui-

do fruiuius est; & modi nescius, eò quòd infinita vastitas deitatis ad eò caliginosa est, & expers modi, quòd omnem modum, & opus omne diuinum cum personarum proprietatibus opulento complexu essentialis vnitatis comprehendit, diuinam fruitionem in abyssò innominatæ diuinitatis generas. Et in hoc gradu celebratur fruiuius quidam excessus, ac in ipsam essentia simplicitatem diffuens ingressus. In quam velut innominatâ abyssum deitatis vniuersa diuina nomina, & modi quilibet, cunctaq; viae rationes in speculo diuinæ veritatis relucens, tanquam in omnium nominum, modorum ac rationum voraginem absorbentur. Quia nimirum in hac inuestigabili diuinæ simplicitatis abyssò, beatitudine fruitionis omnia complectuntur. Personas enim, & vniuersa in Deo vitæta cedere hîc oportet, cum non sit hîc aliud, quàm aterna quies in amplexu fruiuiuo amorosissimæ absorptionis, quam omnes contemplatiui spiritus super omnia feliciter elegerunt. Quam & nos, & in præsentî pragustare, & in futuro possidere faciat Iesus Christus, Sapientia Patris, Deus de Deo, lumê de lumine, qui cum eodem Patre, & Spiritu Sancto super omnia sit benedictus in sæcula. Amen.

D. HENRICI HARPHII

THEOLOGIAE MYSTICAE,
LIBRI III.

PARS QVINTA.

Amoris diuini nouem gradus
in se complectens.*Amoris gradus primus dicitur Amor incomparabilis.**Cap. XXXI.*

Math. 23.

AMICE ascende superius. Lucæ decimoquarto. Quæritur: Vtrum charitas infunditur secundum quantitatem naturalium, præsertim cum dicitur apud Matthæum: *Dedit vnique secundum propriam virtutem.* Sed charitatem nulla virtus præcedit, nisi virtus naturalis: & ideo videtur, quòd secundum capacitatem virtutis naturalis infunditur homini charitas, sicut:

Et ut etiam Angelis charitas, & alia dona gratuita data sunt secundum capacitate naturalem, ut tangit Magister Sentent. lib. 2. Ad hoc breuiter respondetur, quod vniuersaliusque quantitas dependet à propria causa rei, quia vniuersalius causa maiorè effectum producit. Charitas autem cum excedat proportionem humanæ naturæ non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia Spiritus Sancti eam infundentis. Et ideo quantitas eius non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate Spiritus, prout vult sua dona tribuentis. Et licet dat *unicuique secundum propriam virtutem*, id est, secundum dispositionem, præparationem, & conatum gratiâ ipsam recipienti, hanc tamen dispositionem, vel conatum Spiritus Sanctus præuenit, mentem mouens plus, vel minus, secundum suam voluntatē. Angelus verò cum sit naturæ intellectualis, & secundum suam conditionem ei competat, quod totaliter feratur in omne id, in quod fertur, ideo in superioribus Angelis fuit maior conatus, tam ad bonum in perseverantibus, quam ad malum in cadentibus. Hinc est, quod superiores Angeli persistentes, facti sunt meliores inferioribus, & cadentes peiores. Sed homo naturæ rationalis est, cui competit esse, quandoque in potentia, & quandoque in actu: & ideo non oportet, quod feratur totaliter in id, in quod fertur. Sed eius qui habet meliora naturalia, potest esse minor conatus, & è conuerso. Ex quo sequitur, quod charitas vig

Angeli
charitas.

Viatores
cur dicamur.

1. Cor. 12.

Lucæ 14.

semper augeri potest. Ex hoc enim viatores dicimur, quod in Deum per charitatē, mētis affectibus tendimus, qui est vltimus finis nostræ beatitudinis. Per ipsam enim mens peruenit ad Deum, & vnitur eidem. Hinc etiā Apostolus ipsam charitatē viam nominat, dicens: *Adhuc autē excellentiorem viam vobis demonstro*. Et ideo non immeritò Christus ait his, quos sibi charissimos efficere desiderat: *Amice ascende superius*.

Pro quo sciendum, quod, secundum Augustinum, pes animæ amor est, & amore mouetur anima, velut ad locum quo tendit, scilicet ad dilectionem bonam, vel malam. Quare peccator etiam à Deo longè abijssè dicitur, non quidem loco, sed dissimilitudine, scilicet mala vita, malis moribus: quia quisque amando Deum, accedit ad Deum; & amando iniquitatem, recedit à Deo: nusquam pedes mouet, & tamen recedit, & accedit. *Beatus igitur cum est auxilium abste Domine*. Hic enim *ascensiones per gradus amoris, in corde suo disposuit in valle lach ymarum*. Vnde ad nostram instructionem nouem gradus sculares amoris distinguere curabimus, quos fidelis Christi seruus

Pedes ani
mæ qui.

1. sal. 13.

Ignis ut
purget.

Amor in-
compara-
bilis.

Matth. 10.

conscendere non omittat, ut post horum felicem ascensum, tanquam
verus amicus Dei, regni illius particeps esse valeat. Et hos quidem
gradus, ad maiorem evidentiam, nouem proprietatibus ignis asimi-
lare placuit, eò quòd amor Dei *ignis consumens est*, non naturam, sed
omnem dissimilitudinem. Ignis igitur primò naturam habet purga-
tiam, qua scilicet metallorum consumit rubiginem. Agendo namque
in subtilitatem metalli, tandem ipsam calore dissoluit, & separat si
quid rubiginis inuenit, idque consumit. Quòd si metallum omnino
pulum est, violentia quidem caloris dissoluitur, sed non consumitur.
Aurum enim perfectè iam depuratum, quamuis per calorem dissolu-
atur, non tamen in suo pondere minoratur. Et hæc proprietas ignis
amorem nobis representat, qui dicitur incomparabilis, sine quo scili-
cet nulla pœnitentia peccati rubiginè consumere potest. Est autem in-
fimus amoris gradus, communis omnibus electis, tantæque virtutis,
quòd omne peccatum mortale ab anima depellit, quia Deum super
omnia diligit. Alioqui, ut dicitur apud Matthæum: *Qui diligit patrem
aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui diligit filium
aut sororem plus quam me, non est me dignus. Et qui non tollit crucem
suam, & sequitur me, non est me dignus.* Ad hunc autem amorem am-
plectendum inducit nos Anselmus, dicens: Quòd creatura rationalis
nihil diligere debet, nisi summam essentiam, & alia propter istam.

Cuius ratio est: Quia illud, in quo summa reperitur diligibilitas,
summè diligi debet: sed hoc est in solo Deo, quare meritò summè
diligendus est. Porro, secundum Gregorium, Ille verè Deum amat,
cuius mentem prava delectatio ex consensu non superat. Nam tan-
tò quis ab amore superno distungitur, quantò inferius delectatur.
Oportet enim quòd ille mundi huius amorem postponat, qui di-
lectione Dei repleri desiderat. Hinc etiam dicit Hugo, quòd tunc quis
liberè se spiritualibus per amorem conglutinat, cum de terrenis af-
fectibus nihil superest, quod eius mentem in aliena desideria conuer-
tat. Itaque tempus scindendi est, ut prius homo mentem à desiderijs
terrenis auellat: postea tempus consuendi, ut animo per amorem
spiritualem aternis bonis adharere incipiat. Sic quippe consuun-
tur humana, & diuina in vnum, ut quæ duo fuerant per naturam,
vnum fiant per gratiam. Compunctio liquidem acus est, & dilectio fi-
lum: acus viam facit, & perforat vtrunque, ut filum vtrunque conti-
neat. Hæc ille.

Scien-

Sciendum tamen, quod hic gradus amoris non est de facile discernibilis ab amore naturali, mercenario, vel acquisito. Et ideo vocatur hic amor occultus, eo quod in effectibus suis aperte non sentitur. Dicit autem Apostolus, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris*. Fides verò Catholica hæc est, quod qui conscientie puritatem conseruauerit, & mortalia non commiserit, licet in magnis se nondum exercitauerit, tamen in eius corde credimus esse Deum. Sed in his, qui prædictum amorem adepti sunt, iuxta verbum Psalmistæ, *vestigia tua Domine non cognoscuntur*. Quia talis amor adhuc impotens est ad ardua perficienda, & languens circa minima. Ut illum tamen ab alijs discernamus, sciendum est secundum Thomam secunda secundæ quæstione decimo octaua, quod amor mercenarius semper est malus, quia diligit Deum propter temporalia: quod secundum se charitati repugnat, quia temporalia ponit tanquam principale dilectionis, de qualibus dicit Psalmus: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, id est, duntaxat in prosperis à te sublimatus. De dilectione proinde, per exercitium acquisita, dicit Bonaventura super primum Sententiarum, distinctione decima septima: Quod charitas, quæ facit hominem gratum Deo, & Deum gratum homini, non est certitudinaliter cognoscibilis propter quatuor causas: quarum vna est similitudo illius charitatis ad dilectionem acquisitam. Potest enim contingere, aliquem inflamari ad amandum Deum per assuetudinem, qui corruet per aliquod spirituale peccatum, & tamen per dilectionem acquisitam semper afficietur ad Deum: ut patet per beatum Bernardum in libro de amore Dei, vbi de deuotione superbientes reprehendit. Unde ex hac affectione sic inflammante quis se præsumit esse in gratia. Et hic status est periculosissimus. Præterea quadam naturali dilectione diligit humana natura Deum tanquam primum principium, à quo sortitur esse suum. Naturaliter enim mouetur ad amorem summi boni, ut dicit Bernardus in libro de diligendo Deum: Inexcusabilis est omnis infidelis, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata & non ignota rationi iustitia, quod ex toto illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Denique, tam similis est talis amor naturalis in actibus exterioribus ipsi charitati, sicut sibi similes sunt vnus capitis duo capilli: intentiones tamen amborum omnium sunt dissimiles. Quia verus amator semper intendit & querit honorem Dei & eius beneplacitum: naturalis

Amor in-
co, parabi-
lis, vt dif-
cernatur a
naturali.
Ephes. 3.

Psal. 76.

Mercenari-
us amor.

Psal. 48.

Amator ve-
rus qd quæ-
rat.

ralis autem amator sibi et proprioque lucro semper intendit in omnibus exercitijs suis & operibus virtuosus. Et ideo, licet in effectibus exterioribus vehemens amator & ardens videatur, nequaquam tamen Deo suo per amorem vnificari potest: quia cum natura recurua sit ad seipsum, omnis homo supernaturali gratuitaque dilectione vacans, ad seipsum in omnibus reflectitur, requiem quaerens in rebus externis quia à Deo auersus, & ad se naturali dilectione conuersus, affectat dulcedines & solatia: quorum appetitu mouetur intrinsecus, licet quandoque compunctus ad horam, eadem deslere & detestari videatur, ad

Luca 8.

tempus credens, & in tempore tentationis recedens. Et sic amore naturali præponderante, simul in quatuor peccata prolabitur, scilicet in superbiam, cupiditatem, gulositatem, & luxuriam. In qua nimirum

Peccatum
Adæ qua-
druplex.

Adam in Paradiso per ordinem lapsus est: quia mandatum DEI superbiendo contempsit: instinctu cupiditatis, sapientiam concupiuit: motu gulositatis, delectamentum saporis illiciti quæsiuit: & post hæc motu carnis ad libidinem insaniuit. E conuerso verò beata virgo Maria, quæ facta est mater veri amoris, charitate sincerissima ad Deum conuersa, Christum concepit profundissima humilitate, quem obtulit Patri, cum vniuersis opprobrijs suæ passionis, beneuolentissima largitate, nec vllius vnquam doni sapore abutebatur tenuissima gulositate, sed omnis eius vita semper fuit purissima castitate redimita. Et hæc omnia prodibant ex radice diuini amoris, qui *non querit que sua sunt*, sed

Mariæ be-
atissimæ per-
fectio.

1. Cor. 13.

quæ IESU CHRISTI. Quamobrem Hugo ad charitatem loquens, ait: O charitas, si scirem quanti valeres, pretium appenderem pro te.

Charitatis
pretium.

Sed fortè excedis angustias meas, nec inuenire potero pretium tuum penes me. Dabo tamen quod habeo, & totum quod habeo. Et cum totum dederò, totum quasi nihil reputabo. Omnes delectationes carnis meæ, omnes iucunditates cordis mei, propter te libenter impendā, vt te solum possidere valeam. Tu sola mihi charior, vtilior & suauior, tu sola iucundior: amplius delectans, abundantius satians, tutius saluans, & feliciter conseruans.

Amoris in-
comparabi-
lis signa
quæ.
Odiū pec-
cati.

Ad cognoscendam igitur charitatis huius euidentiam, sciendum, quòd ad hoc præcipuè tria signa possunt assignari. Primum est, odium peccati. Non enim sufficit peccata deplangere, & de eis dolere (prout dicit sanctus Thomas super quartum librum Sententiarum distincti-
one duodecima) quoniam hoc fieri potest propter aliquod incommodum vel scandalum temporale vel æternum: sed oportet, quòd ad ea
homo

nono etiam verum sentiat odium. Nam sicut amor verus in amari consideratione delectationem parit, sic odium peccati per recordationem veram de ipso parit tristitiam. Porro, ratio huius signi est, quia culpa mortalis & charitas opponuntur, & ideo in eadem voluntate persistere non possunt. Vnde Augustinus super Iohannem homilia octava dicit. Quod radix omnium bonorum est charitas, & radix omnium malorum est cupiditas. Et ambo simul stare non possunt, quia nisi una radicitus euulsa fuerit, alia plantari non potest. Ideo ea merito sunt odienda, quae charitati, quae nos Deo coniungit, imò deos efficit, tantopere sunt contraria. De hac charitate dicit Hugo: O charitas, nescio si forte maius sit dicere, te Deum, an Deum te superasse. Quod si maius est Deum esse, etiam hoc libenter & fiducialiter de te dicam, *Deus charitas est*. Nunquid parum est, Deum in se manentem habere? tantum est charitatem possidere. Hoc enim privilegium sola charitas habet, ut Deus dicatur & sit. Non enim dicitur, Deus humilitas est & patientia: quia cum omnis virtus donum Dei sit, nulla praeter charitatem hoc habet, ut non solum donum Dei, sed & Deus dici possit. Reliqua proinde dona gratiarum largitur Deus etiam his, quos reprobat, solam autem charitatem, velut seipsum his tantum quos diligit, in praemium servat. Vnde concludit beatus Bernardus dicens: *Deus charitas est; quid pretiosius? & qui manet in charitate, in Deo manet: quid securius? & Deus in eo: quid iucundius?*

1. Iohan. 4.

Secundum verò signum huius charitatis est, firmum habere propositum cum effectu in futurum cavendi peccata, & eorum occasiones. Quod quidem propositum stabiliri non potest, nisi quis in operibus poenitentiae se exercent. Quae profectò necessaria sunt, non solum ad satisfactionem praeteritorum, sed etiam ad praeservationem futurorum. Huius itaque signi ratio est: Quia tale propositum per amorem naturalem vel dilectionem acquisitam sine adiuvante charitate nequaquam haberi potest. Dicit enim Augustinus in libro Retractionum capite 8. Quod ipsa voluntas, nisi per gratiam liberetur à servitute diaboli, qua facta est serva peccati, & per gratiam ordinetur, rectè pieque per se vivere, diu à peccatis mortalibus abstinere non potest. Licet enim propter ingenitam libertatem quodlibet mortale vitare possit, propter infirmitatem tamen carnis omnia diu vitare non potest, quin in aliquod eorum incidat. Praecipuum autè, quod nos à mortali peccato retrahere debet, est excellentissima nobilitas

Propositum
cavendi
omne pec-
catum.Peccatum
mortale
quidnam
vitare sa-
ciat.

Deus vt si
sponsus
anima.

status gratia. Quia Deus fidelem animam per vinculum charitatis in sponsam Christi, & in templum Spiritus sancti consecrat. Nam anima sancta, diuina charitate dotata, censetur Christi sponsa, per Sacramentum baptismatis eidem copulata. In cuius argumentum ab illo arrham bonam, remissionem scilicet peccatorum, & Spiritus sancti donum accepit. De quo dicit Richardus: Quod verus anima sponsus Deus est: quem nunc veraciter nobis copulamur, quando ei per verum amorem inhaeremus. Imò verò tunc ille nos sibi cōnectit, quando nos quibusdam internis commercijs, ad summum amorem arctius astringit. Unde fit, vt qui prius consueuerat multum formidare, postmodum incipiat ardenter amare. Ad quod etiam Augustinus animam hortatur, dicens: O sponsa sponsum habes, & nescis. Pulcherrimus omnium est, & tamen speciem eius non vidisti. Ille autem te videt, quia nisi te vidisset, non te diligeret. Quid ergo ages? Nunc illum videre non poteris, quia absens est: & ideo non times, nec erubescis illi iniuriam facere, quòd singularem eius amorem contemnis, & amatorì alieno te turpiter prostituis. Noli sic facere, sed si adhuc scire non potes qualis ille scit, qui te diligit, considera saltem arrham, quam tibi dedit: & sic poteris cognoscere, quo affectu illum diligere, quo studio & diligentia illi te debeas conseruare. Magnum enim est quod tibi dedit, sed maius est quod te diligit. Quid tibi dedit, ó anima mea, sponsus tuus? Respice mundum vniuersum, & considera, si in eo sit aliquid quod tibi non seruiat. Omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, vt obsequijs tuis famuletur, & vtilitati tuae deseruiat. Quis putas hoc instituit? certe Deus. Beneficium igitur accipis, & datorem non agnoscis? O quàm stultum est, amorem tam potentis non concupiscere; & quàm impium, tam multum diligentem non reamare. Dilige ergo illum propter te, & dilige te propter illum. Dilige illum, vt illo fruaris: dilige te, vt ab illo diligaris. Dilige in donis illius, quae tibi data sunt ab illo, ipsum tibi, & te illi: quia haec pura & casta dilectio est, nihil habens sordidum, nihil amarum, nihil tantorium.

Vt quis de
alioñ casu
dolet, &
profectu
gaudet.
Lucæ 15.

Tertium denique signum huius charitatis est, quòd quis de aliorum defectu vel casu contristatur, & de profectu congratulatur, vt impleat mandatum Dominicum, quo dicit: *Congratulamini mihi, quia inueni orem meam quae perierat.* Nimirum cum verorum amicorum est idem velle, & idem nolle. Et ideo dicit Augustinus in epistola quadam: Quod qui

qui non dolet de malis proximi, non est in eo charitas DEI. *Charitas enim non congaudet propria vel aliena iniquitati, sed magis ve-* 1. Cor. 13.
ritati. Quia cum quis peccatum propter se, non propter aliud quod-
 cunque commodum consequendum, vel incommodum precauend-
 um detestatur & odit, in hoc ipso omne peccatum odio habet cum
 Psalmista dicente: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* &c. Psalm. 118.
 Et iterum: *Omniem viam iniquam odio habui.* Unde proprium exercitium
 huius charitatis est, incessabili detestatione & auersione luctari cum
 vitijs & concupiscentijs.

De secundo scalarigradu amoris, qui dicitur Amor semper mobilis.

Cap. XXXII.

Querit Doctor sanctus, secunda secunda, quaestione vigesima-
 quarta: Vtrum in quolibet actu charitatis ipsa charitas semper
 augeatur, praesertim cum Gregorius dicat, quod in via Dei
 stare, est retrocedere: sed nullus, cum mouetur actu charitatis, retro-
 cedit, & ideo merito dicendus est procedere. Quare congruum vide-
 tur, quod in quolibet actu charitatis augmentum recipiat. Ad hoc re-
 spondet ibidem, quod augmentum spirituale charitatis quodammo-
 do assimilatur augmento corporali in animalibus & plantis, in quo
 non est motus continuus, ita scilicet, quod si aliquid tantum augetur
 in tanto tempore, necesse sit quod proportionabiliter in qualibet par-
 te temporis illius aliquid augeatur: sed per aliquod tempus natura dis-
 ponens operatur ad augmentum, actu tamen nihil auge, sed postmodum
 producit id in effectum, ad quod disposuerat augendo, scilicet ani-
 mal vel plantam in actu. Sic etiam non in quolibet actu charitatis au-
 getur ipsa charitas actu, sed quilibet actus charitatis disponit ad eius
 augmentum, quia semper redditur promptior ad agenda secundum
 charitatem. Et sic habilitate crescente, prorumpit quis in actum dile-
 ctionis feruentiorem, quo conatur ad charitatis profectum, & tunc
 charitas augetur in actu.

Vnde licet quilibet actus charitatis augmentum mereatur, non ta-
 men statim augetur, sed tunc solum cum quis ordinatur ad huiusmo-
 di augmentum. Nihilominus tamen semper in via Dei procedit, non
 solum dum actus charitas augetur, sed etiam dum disponitur ad aug-
 mentum. Praeterea, quod est magis amplectendum, Charitas semel ac-
 quisita, licet per mortale possit omnino corrumpi, tamen per veniale

*Charitas vt
 in quolibet
 actu augea-
 tur.*

Q9999

non

Peccatum
veniale qd
faciat in
charitatē.

nō potest diminui. Quia cū quis delinquit in minori, non meretur
pari detrimentum in maiori, eō quōd Deus se non plus auertit ab ho-
mine, quā homo se auertit à DEO. Hinc est, quōd per veniale
(quod opponitur feruori charitatis) non potest ipsa charitas diminui,
cui tantū opponitur culpa mortalis. Ad corruptionem tamen cha-
ritatis homo disponi potest per venialia, vel etiam per cessationem
ab exercitio operum charitatis. Præterea virtutes ab actibus acquisitæ
per cessationem ab actu diminuuntur, sicut ait Philosophus octauo
Ethicorum: Quōd multas amicitias in appellatione soluit, non appē-
lare amicū, seu illi non colloqui. Quod est ideo, quia conseruatio cū-
iusque rei, dependet à sua causa. Cū igitur causa virtutis acquisitæ
sit actus humanus, ideo cessantibus actibus humanis, virtus acquisitæ
diminuitur, & tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate lo-
cum non habet, quia non causatur ab humanis actibus, sed solū à
Deo. Hinc est quōd actu cessante, charitas propter hoc non dimini-
tur, nec corrumpitur, quamdiu desit mortale peccatum. Sed quia (vt
dictum est) per multiplicata venialia, vel per cessationem ab operibus
charitatis, quis disponitur ad corruptionem charitatis, ne diuinum
hoc donum in vacuum recipiat, studeat quisque, iuxta possibilitatem
suam, gradum hunc charitatis ascendere: qui dicitur Amor semper mo-
bilis, ne sturda pertransseat aure. quod dictum est, *Amice ascende supra
perius.*

Remis vt sit
semper
mobilis.

Secundō igitur ignis naturam habet alijs elementis mobiliorem, vt
dicit cōmentator super Dionysium de cælesti Hierarchia. Et ideo dicitur
semper mobilis & potens omnium, quia in igne principium est
virtutis motiua, qua se mouet & alia, nec ab aliquo inferiori se moue-
tur, sed virtute solis mouetur, & ad quamlibet admixtionem virtute
solis inferius descendit: sicut terra mouetur ab orbe stellarū fixarū, &
ideo diuersæ rerum species in ipsa generantur. Vnde diuersæ figuræ ter-
restrium correspondent diuersis imaginibus stellarū. Aqua verò mo-
uetur ab orbe lunari, prout patet in fluxu & refluxu maris. Et aër,
propter multitudinem motuum in ipso, mouetur ab alijs quinque pla-
netis, qui sunt multorum motuum. Ex quibus liquet, quōd motus so-
lis est nobilior, potentior, & efficacior alijs motibus. Sic nimirum hu-
mana mobilitas diuersis mouetur affectibus & concupiscentijs. Actio
tamen solis iustitiæ vigorem nobis suæ charitatis ingerēs, humanū af-
fectum efficacius mouet ad operationē virtutū, vt pote in operatione
sua po-

sua potētissima. Et ideo gradus istius amoris benedicatur Amor semper mobilis: quia, secundum Linconensem, tollit interruptionē motionis in amatore. Semper enim diligit, tam in aduersis, quam in prosperis, is qui verus amicus est. Et secundum Gregorium, Amor operatur magna si est: si autem operari renuit, amor non est. Hic autē amoris gradus adeo quandoque cor nostrum igne charitatis accendit, quod eius virtute omnes vires sensitiuæ concurrentes in suam originē, cordis sui conuelebrant vnitatem. Quam nemo verē possidere potest, nisi in cuius corde Spiritus sanctus ignem sui amoris accendit. Vbi anima velut in regali lectulo recubans, in pace suaviter requiescit. Ex hac vero cordis vnitatem compunctio generatur, nō quidem doloris, sed amoris. Quia tunc anima in se diuinæ visitationis operationem attendens, ad reamandum compungitur, & ad vicem reddendam diuinæ liberalitati, totis viribus inardescit, ita quod ea iam incipiunt dulcescere, quæ prius amara laboriosaque videbantur.

Amor semper mobilis.

Compunctio amoris vnde.

Ex qua compunctioe mox oritur quidam amoris affectus, cor & vni appetituum penetrans. Est enim amoris affectus, sapor cordis appetitus in Deum, tanquam in summum bonum, omnis boni contentiuum, qui creaturis omnibus valedicit, ne earum abusu sensuales concupiscentias foueat, quia sentit se interius aeterno contractum amore, cui super omnia operam dare concupiscit. Et ideo facile cōtemnit omnia, vt id, quod diligit, assequatur. Caterum ex hac affectione plerumque cōsurgit quædam cordis vigorosa deuotio, diuinæq; laudis & honoris prodiga flamma, quasi flāma altaris incensæ, in qua scilicet thymiana gratitudinis, boni odoris adoleatur, quod in igne non redolet alieno. Hoc autem thymiana conficitur ex omnibus speciebus pretiosissimis beneficiorum Dei, in creatione, recreatione, gubernatione, glorificatione, & similibus. Quas in nobis congerit cōpunctio, cōterit affectio, incendit deuotio, & olfactui diuino in redolentem odorem laudis offert gratitudo. Ex gratitudine proinde nascitur in corde geminus dolor. Vnus quidem ex defectu diuinæ laudis, honoris, & gratiarum actionis. In quo nimirum se perpendens deficere Psalmista: *Quid, inquit, retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Alius autem pro profectu & incremento virtutum, quas ad votum consequi non proualeat, quia necesse est huiusmodi hominem diuersis adhuc afflictionibus & tentationibus agitari. Quia stimulus internus diuinæ visitationis, in hoc gradu amoris, adfert & aufert; pauperem facit, &

Affectus amoris.

Thymiana mysticum quod, quomodoq; conficiatur.

Gratitudo vt generet dolorem duplicem. Psal. 115.

Q9999 2

ditat;

ditat; humiliat; & subleuat; subtrahit delicias, & congerit; nunc gaudium ingerit; nunc merorem; sperare facit, & desperare. Nec dici possunt contraria, quae alternatis vicibus in hoc gradu contingunt. Cum enim Deus amatorem suum deserendo se subtrahit & abscondit, ita quod cor amantis affectu mox arido sterilefcit, tunc se pauperem inuenit & tepidum; velut à Deo derelictum, & ab omni dulcedine desolatam. Sedensque cum Iob in sterquilinio desolationis, ad mentem iucunda & grata deuotionis tempora, flebilibus oculis reuocare non desinit. Deinde lentescit agilitas in exercitijs virtutum, reuiuiscit sensualitas in oblectatione vitiorum, sapor spiritalis despicit, opus penitentiae amarescit. Et sic totus decursus amoris illius, dubius esse videtur, dum tales in se mutationes nouarum affectionum agnoscit: per quas peccatum, quod prius per frequentiam placens delectabat, postmodum per penitentiam displicens cruciabat. Quae quidem penitentia dolore & horrore vitiorum adornata, certissimum signum est diuinæ praesentiae: cuius spiritus licet in se dulcissimus sit, miro tamen modo doloris amaritudinem in nobis operatur. Et quod amarum est, sentitur in poenitentia & operibus penalis. Sicque Spiritus sanctus partim notus efficitur ex mutatione affectus, & partim ignotus: quia ex sui praesentia * peregrinam facit impressionem in anima; scilicet amaritudinem, cum ipse sit totus dulcis. Cuius si causam inquiris, respondeo, quod hoc prouenit ex accipientis inhabilitate. Cum enim multorum malorum se reum agnoscit, Spiritum sanctum aliter, quam velut offensum, arguentem, & iratum, accipere non potest, licet naturalem suam dulcedinem non relinquat. Non ergo prouenit ex amaritudine venientis, sed ex infectione recipientis. Sicut si quis dulcem potum & saporosum degustans, ex infecto palato felleum iudicat & amarum; sic nimirum anima paulò ante diuersis vitijs & concupiscentijs, detestabili foeditate corrupta, ac nec dum plene mortificata, non tam celeriter & frequenter ad internos sponsi complexus admittitur; licet ad hoc etiam magno conatu laborare videatur, donec se moribus & virtutibus debite studuerit adornare. Unde Hugo de arrha animae; cum eadem conferendo, sic ait: Si ego electa sum, cur quæso adhuc differor, quoniam ad amplexus sponsi nondum venire possum? Nescis o anima mea, nescis quam foeda prius fuisti, quam deformis, quam polluta omni horrore & enormitate plena? Et quomodo tam citò in illum pudoris & castitatis thalamum

* Alià, pri-
tadò gauē.

Jam expetis introduci, nisi prius saltem aliqua cura & studio ex-culta ad pristinum decorem repareris? hoc est, cur sponsus tuus adhuc praesentiam suam tibi subtrahit, & necdum ad mutuos amplexus & oscula dulcia te admittit: quia nec polluta debet mundum tangere, nec turpem decet mundum videre. Cum autem preparata, & decen-ter ornata fueris, tunc demum in illum caelestis sponsi thalamum in-trabis, sine confusione permantura.

Restat igitur videre de signis huius amoris, quae similiter tria distin-
guuntur. Primum signum est promptitudo boni operis, quia charitas
est maximè operatiua: & ideo imperat omnem actum ordinatum &
ordinabilem, quoniam probatio dilectionis exhibitio est operis.
Cum igitur proficere volenti necessarium est, vt opera bona feruore
deuotionis, & spirituali dulcedine condiantur, vt sic in hilaritate cun-
cta fiant, & Domino, qui datorem hilarem diligit, grata reddantur,
summa vigilantia propria mortificationi iugiter insistendum est, in
omnibus his, quae fallaciter praesens offert mundus. Quia praecupa-
tum secularibus desiderijs animum, delectatio sancta declinat: nec mi-
sereri poterunt vera vanis, aeterna caducis, spiritualia carnalibus, ima
summis, vt quis pariter sapiat *quae sursum sunt, & quae super terram*, eò
quod delicata consolatio diuina non datur admittentibus alienam, vt
sic à peregrinis consolationibus abstracti, & proprijs concupiscentijs
mortificati, diuinam dulcedinem valeamus praegustare, ac cum debi-
ta continuatione opera Deo grata, spirituali iucunditate perficere:
quod est huius amoris officium, qui semper luctatur cum inordinatis
affectionibus, etiam venialibus, & passionibus naturalibus. Vnde et-
iam alio nomine gradus iste vocatur amor incontaminabilis, quia ho-
minem à mundana conuersatione per affectum retrahit, ne mens et-
iam venialibus nimium polluat, & ab operatione sua charitatis fer-
uor impediatur, aut etiam passionibus naturalibus in aliquo depri-
matur. Vnde Bernardus super illud Apostoli, *Charitas patiens est*, sic
ait: *Sola charitas est, quae in aduersis non deficit, quia patiens est*: quae
iniurias non rependit, quia *benigna est*: quam felicitas aliena non cruci-
at, quia *non emulatur*: quam conscientia non pungit, quia *non agit
perperam*: quae in honore non extollitur, quia *non inflatur*: quae in ab-
iectione non confunditur, quia *non est ambitiosa*: quam cupiditas non
coarctat, quia *non quarit quae sua sunt*: quam contumelia non prouo-
cant, quia *non irritatur*: quam sinistrae suspiciones non defoedant, quia

Signa amo-
ris semper
mobilis
tria quae?
Prompti-
tudo boni
operis.

Amori
huic pro-
priū quod.

1. Cor. 13.

Pfal. 21.
Ephes. 2.
Pfal. 76.

Genes. 32.

Quies ab-
stractionis,
& solitu-
dinis.

Verba ama-
toris.

non cogitat malum: quam aliena mala non lætificant, quia non gaudet su-
per iniquitate: quam errores non excecāt, quia congaudet veritati: quā
persecutiones non frangunt, quia omnia suffert: quam perfidia non in-
durat, quia omnia credit: quam desperatio nō absorbet, quia omnia spe-
rat: quam mortis separatio non intercipit, quia nunquam excidit. O
insuperabilis virtus charitatis, quæ ipsum quoq; insuperabile supera-
sti, & cui omnia subiecta sunt, quodammodo subiecisti, dum victus a-
more Deus, factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis. Propter
nimiam eius charitatem, quæ dilexit nos, ultra continere non potuit in-
ira suam misericordias suas, quo minus dilectam animam suam inimicis
exponeret pro amicis. Quod si contra Deum fortis susti, o charitas, quā-
to magis aduersus homines merito proualebis?

Secundum signum est diligere quietē abstractionis & solitudinis,
nō solum affectu, sed etiam effectu, quantum potest à mundana con-
uersatione & tumultu hominum se subtrahendo. Cuius ratio est, quo-
niam ignis amoris in hoc gradu, separare studet omne inconueniens
amato ab amante, sicque amans ab amato, in solitudinem trahitur,
ibique lactatur, vt interna dulcedine replatur. Vnde diuinus amor,
quandò plenius omnē alium affectum eliminat, tandò frequentius &
abundantius eam interna dulcedine recreat. Et quia (vt dicit Hugo de
arca Noe) Deus rationale spiritū creauit sola charitate, & nulla neces-
sitate, vt eum suæ beatitudinis participem efficeret, & vt idē aptus esset
tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem spirituale, palatum
quodāmodo per hanc illum sensibiles, ad gustū internæ dulcedinis, qua-
tenus per ipsam dilectionem ei infatigabili desiderio inhæreret. Per di-
lectionem ergo copulauit sibi Deus rationalem creaturam, vt illi sem-
per inhærendo, ipsam, quo beatificanda erat, bonum, & ex ipso quodam
modo per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & ipsum
per gaudium possideret. Vnde creatura rationalis ab omnibus se sub-
trahendo meritò soli Deo vacare deberet, vt sic diuinum illud susurri-
um plenius adipisci valeret. Fuge ergo o fidelis anima, dilectum qua-
rens in solitudine, vt fugas & bibas dulcoris illius inenarrabilem sua-
uitatē, immergere & replere, quia ille nescit deficere, si non incipi-
as fastidire. Adhære denique, & inhære; sūme, & fruire. Quia si gustus
sempiternus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit.

Tertium verò signum est delectatio in verbis amatoris audiendo
vel referendo. Nam amantes in sermonibus amatoris delectantur, si-
ue sint

ue sint interitus inspirati, siue aliunde relati, vel literis exarati, dum modo ex illis aut amati voluntatem ad obedientiam percipiant, aut experientum mutuorum affectuum vicissim capiant, quos charitas silentio tegere non potest. Libenter, inquam, de amato loquuntur, in prædicatione, vel instructione, fraterna correctione, vel deuota colloquutione, quia *ex abundantia cordis os loquitur*. Hinc ipsa in Canticis sponsa de sponso frequenter ingeminat, dicens: *Num quæ diligit anima mea vidistis?* multaq; similia. Apostoli quoq;: *Non possumus, inquit, que vidimus & audimus non loqui*. Cur hoc? Profectò, vt ex his magis incitetur affectus ad operationem virtutis, ad vicissitudinē reciproci amoris. Hinc dicit beatus Bernardus: O bone Iesu, amor tuus non est otiosus in his, qui te diligunt: memoria tui super mel dulcis, meditatio tui plus quam cibus suauis: loqui de te, plena refectio: cogitare de te, perfecta consolatio: adherere tibi, vita aeterna.

Math. 12.
Cant. 3.

Actor. 4.

Sed vix ea tepiditati temporis huius, in quo licet multi desiderant esse boni, opera tamen & exercitia virtuosa, quæ illos bonos efficeret, exercere nolunt. Excusant, & quaritantur sibi gratiã deesse, cum ipsa gratia magis conueniri habeat, se bonorum operum factores inuenire non posse. Vix enim (vt dicit Bernardus) est aliquis, qui in his, quæ Dei sunt, experiri velit, quid possit, etiam quod secundum seculum promptissimè potest, siue fauor allexerit, siue timor impulerit, vel commodum quodcumque persuaserit.

De tertio scalarigradu amoris, qui dicitur amor incessabilis.

Cap. XXXIII.

Quærit Doctor sanctus secunda secunda questione 27. Vtrum diuinæ dilectionis sit aliquis modus habendus, eò quod ratio boni consistat in modo, specie, & ordine, vt dicit Augustinus in libro de natura boni. Sed dilectio Dei optimum est in homine, quare non immeritò modum aliquem habere debet. Hinc etiam ait Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ. Dic mihi, quæso te, quis sit modus diligendi? Vereor enim, ne plus minusve, quam oportet, inflāmer desiderio, ac amore Domini mei. Ad hoc respondet ibidem Doctor sanctus: Quod modus importat quandam mensuræ determinationē, sicut tangit August. super Gen. ad literam libro dicens: Modus est, quod vnicuique propria mensuram præfigit. Hæc ergo reperitur tam in mensura, quam in mensurato, licet diuersimodè. Nam in mensura reperitur ef-

Qgggg 4 sentia-

sentialiter, quia mensura secundum seipsam, est determinatiua & modificatiua aliorum. In mensuratis autem inuenitur mensura secundum aliud, id est, in quantum attingunt mensuram. Et ideo in mensura nihil potest accipi immodificatum. Sed res mensurata est immodificata, nisi mensuram attingat, siue deficiat, vel excedat. In omnibus igitur appetibilibus & agibilibus mensuratum finis est: quia eorum, quae agimus & appetimus, oportet ex fine propriam rationem accipere, ut patet per Philosophum 2. Physicorum. Et ideo finis secundum seipsum modum non habet. Ea vero, quae sunt ad finem, modum habent, ex eo, quod sunt fini proportionata. Et ideo, sicut ait Philosophus in 1. Politicorum, Appetitus finis in omnibus actibus absque fine & termino. Eorum autem, quae sunt ad finem, est aliquis terminus. Non enim medicus imponit terminum sanitati, sed facit eam perfectam, quantum potest. Medicinae vero terminum imponit, quia non dat tantum de medicina, quantum potest, sed secundum proportionem ad sanitatem. Quam quidem proportionem si medicina excederet, vel ab ea deficeret, immoderata esset. Finis igitur omnium humanarum actionum & affectionum est Dei dilectio, per quam maximè finem vltimum attingimus. Et ideo in dilectione Dei non potest accipi modus, sicut in re mensurata, ut non sit in ea accipere maius & minus: sed sicut inuenitur modus in re mensura, in qua non potest esse excessus, sed quanto plus attingitur res, tanto melius est. Et ita quanto Deus plus diligitur, tanto dilectio melior est. Vnde subiungit Augustinus, ubi supra, quod modus diligendi Deum est, ut ex toto corde diligatur, id est, ut diligatur, quantumcunque diligere potest. Et hoc pertinet ad modum, qui conuenit mensura. Nunquam enim fidelis anima terminum augmentandi sibi amorem imponit, ut sic attingat tertium gradum amoris, qui dicitur amor incessabilis, ne se aure surda di. estum admonentem audisse doleat: *Amice ascende superius.*

Amor Dei
ut sit om-
niū actio-
num & af-
fectuum fi-
nis.

Ignis ut ha-
beat natu-
ram seu per
actualem.

Ignis (ut ait Commentator super Dionysium de caelesti Hierarchia) naturam habet ceteris elementis magis actualem, & in agendo fortio-rem. Et ideo dicitur à Dionysio immensurabilis, quia virtus eius operatio crecit in infinitum, si materia fuerit infinita. Nam quamdiu materia subiecta durauerit, ignis non deficit, sed se multiplicando semper crecit. Vnde & virtutem habet inalterabilem, quia manens ignis à sua caliditate infrigidari non potest, sicut aqua manens aqua cale-

calefieri potest. Et aperte nobis significat gradum huius amoris, qui dicitur incessabilis. Qui profecto, secundum Linconensem, tollit terminationem augmentationis, vel intentionis, & magnitudinis. Sicut enim ignis non habet terminum in agendo, dum modò materiam auctam inuenit, in quam agit, sed semper accrescit: sic amor & eius actio terminum non habet in agendo, dum inuenit materiam, in quam transire possit. Et quoniam quæ Dei sunt, sicut sunt summè diligibilia, ita sunt & infinita. Hinc est, quòd amor in ipsum tendens, semper inuenit auctam materiam: & idèd amor & eius motio in diuina, terminum non habent in agendo.

Cùm igitur amoris huius officium est, hominem semper ad profectum prouocare, idèd luctatur quotidie cum humana tepiditate. Vnde & alio nomine vocatur amor infatigabilis, eò quòd animam quiescere non sinit, donec semper plenius inueniat quem diligit. Continuis enim stimulis mentem agitat ad proficiendum & apprehendendum dilectum, donec tandem eò ad votum complexo, dicat: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Super quo verbo dicit Bernardus: Quis te non teneat Domine Iesu? qui tenentem te fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis, remuneratione perducis. Ergò *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, id est, nunquam *dimittam te*, quia non benedecis nisi tenentem te. Porro gradus iste fidelem amicum mouet & excitat intrinsecus, sensitiuè trahens eum sursum toto corde, totisque viribus, ita quòd exigit iam cum Deo quandam amatoriam conficere vnitatem. Quem scilicet tractum in corde sentit in vnitatem virium sensitiuarum, & præcipuè in vi concupiscibili. Quia negotium huius amoris peragitur in inferiori parte hominis, quam vigore suo fideliter mundare fatagit & ornare, ac igniculo suo superpositam sursum agere, priusquam anima fidelis ad superiora conscendat. Hinc etiam amoris huius allegra dulcedine sponsa fidelis, in Canticis suppliciter orat, dicens: *Trahere me post te.* Nouit enim quòd vim patitur humana mens, visibilis assuetæ delitijs, dum se ad fruitionem inuisibilium transferre voluerit. Petit igitur trahi, donec per contemplationem saporosam, omnia creata liberis alis, id est, affectibus supergredi valeat. Donec, inquam, omnes adulterinas solatiunculas, vberiori consolationis spiritu inebriata fastidiat, dicens cum Psalmista: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.*

Officium
amoris in-
cessabilis.

Cant. 3.

Gen. 32.

Cant. 1.

Psalm. 76.

Rrrrr

Ote

O te felicem animam, quæ cuncta creata tam liberè superuolat, quàm dulces experiris amplexus, eurrens in odorem unguentorum illius. Sed quid quæso, sibi vult odor iste? cur non potius sapor, aut visus, aut aliquid huiusmodi? Rationè audi: Cuncta, ni fallor, delectaméta sensibilia mûdi huius, quæ scilicet exterioribus sensibus cõcipiuntur, si frequentata fuerint, fastidium ingerunt. Cuius argumentum patet in esuriēte ad escas delicatas, quarum satietas mox fastidium generat. Sola verò fragrantia odoris suauissimi delectabiliter reficit, corpus non aggrauans, fastidium non ingerens, sed appetitum renouans. Per illam igitur non incongruè, illa dulcis influentia diuinæ dulcedinis & amoris designatur: cuius nimirum refectionem appetitum prouocat; appetitus verò refectionem ingeminat, & alterum in hac vicissitudine confortat. Hanc autem Euāgelista Iohannes sedula prælibatione degustas, & à Domino tandem ad æternum conuiuium inuitatus, respondit, dicēs: Odor tuus Domine Iesu excitat in me concupiscentias æternas. O odor longè effluens, lateque diffluens, & in amorosis cordibus dulciter omnia disponens, & suauiter adimplēs. Huius igitur odoris in hoc amoris gradu iam anima paulatim incipit gustum, tenuem prælibare. Quo fit, quòd de cætero sursum se trahi desideranter expetat.

Amoris
inextinguibilis
signa.

Conscientia
seruanda.

Ad maiorem autem euidēciam sciendum, quòd amoris huius tria signa possunt assignari. Primum signū est seruēs & iusta, non simulata conscientia examinatio, non solum de mortalibus, sed etiam de minimis venialibus, præsertim inordinatis affectionibus. Cuius ratio est, quia sicut charitas opponitur vitio mortali, sic seruuor charitatis opponitur veniali, & vtrunq; alterius venenum est. Vnde seruuor charitatis omne veniale, præcipuè quantum ad affectum, diligenter eliminat, ne fidelis anima Spiritui S. displiceat, qui cunctas illius officinas visitando celeriter illustrat, faciliterq; inuenit quod oculos suos offendit atque impedit, ne sua largiffua bonitate, tantum per gratia dulcedinem affluat, quantum amans spiritus in suis exercitijs anhelosis suspirijs exoptat. Non enim (teste Gregorio) requiescit in eo spiritus sanctus, qui domum cordis sui puluere venialium aspergit. Quia tales spiritum sanctum, qui in eis est, contristat, & idè perfectam lætitiā vel cõsolationem sancti spiritus assequi non merentur. Nā peccata venialia, licet spiritum sanctum non excludant, quantum ad habitum, tamen non requiescit in eis, quātum

ad

ad actualem deuotionem. Cuius actum triplicem in nobis ostendit Bernardus, dicens: Spiritus sanctus monet, mouet, & docet. Monet memoriam, mouet voluntatem, & docet rationem. Nec minimam paleam peccati intra cordis habitaculum, quod possidet, patitur relidens, sed statim igne subtilissime circumspectionis exurit. Nec mirum, quia Spiritus sanctus in hoc gradu amoris hominem nititur ad efficacem gustum internæ dulcedinis & cōtemplationis subleuare. Et ideo solum cælestia meditatur, à tumultu omnium occupationū in utilium separatur, dulces affectus carnis refugit, vagos sensuum motus restringit sciēs profectō, quōd quamdiu quis sapore premi-
zur scelerum, suauitatem cælestium salubriter degustare non poterit in æternum.

Vnde quatuor sunt præcipuè, quæ sanctam cōtemplationem impediunt, quæ tangit Bernardus super Cantica, dicens: In hoc arcana cōtemplationis, & in hoc sanctuarium Dei, si quem nostrum aliqua hora sic rapi & abscondi contigerit, ut eum minimè auocet vel interturbet, sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certè (ea quæ difficilius amouentur) irruetia corporearum imaginum phantasmata, poterit hic, dum ad nos redierit gloriarī & dicere: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* In quibus verbis patet, quod primum impediens est, sensus egens, scilicet corporis. Nam in tantū anima ad corpus afficitur, quōd ipso in aliqua parte sui, vel sensuū, notabilem defectum patiente illam contemplari non delectat, nisi Deus hoc fecerit ex abundantia proflua gratiæ singularis, sicut tempore validæ famis, sitis, frigoris, caloris, infirmitatis, vel cuiuslibet alterius impedimēti corporalis. Secundum est, cura pungens, id est, sollicitudo curarum & occupationum, etiā utilium: quia sicut puluis oculum corporalem iniectus, visum impedit, sic cura terrenorū in actuum, oculum intelligentiæ confundit, & à cōtemplatione veritatis excludit. Tertium est, culpa mordens, id est, peccatum, cum est in anima per actualitatem. Nam reddit animam tenebrosam, & impedit cōtemplationem, ad quam requiritur animæ puritas. Vnde sicut sanguis aut humor concretus in oculum fluens, visum corporalem impedit, sic peccatum influit in animam, & impedit cōtemplationem. Et ideo eo tempore quo volumus contemplari, etiam cogitationem nostram ad aliquod peccatum reflectere non debemus, licet omni tempore nos peccatores reputare debeamus.

Impediunt
ta cōtem-
plationis,
quæ.

Cōtempla-
tionis ut se
quis accē-
modet.

Rrrr z bea-

beamus. Quartum, sunt phantasmata corporaliū imaginū quæ difficultius amouentur. Et idē commendatur in hoc statu solitudo. Oportet enim huiusmodi mutum & surdum esse, ac priuatum quodammodo vsu omnium sensuum exteriorum, vt indepietum conferuet mentale speculum.

Mandatorum Dei custodia.

Secundum signum huius amoris est, etiam in aduersis quibuscunque studiosa mandatorum obseruatio, quia omni tempore diligit, qui amicus est. Cuius emolumentum scribit Augustinus, dicens: Tu, qui veram requiem, quæ post hanc vitam promittitur, queris, etiam hic eam inter amarissimas huius vite molestias, suauē, iucundamque gustabis, si eius, qui promisit, præcepta seruaueris & dilexeris. Vnde, secundum Gregorium, Spiritus sanctus in quorundam corda venit, & mansionem facit, quia sic amor diuinitatis eos penetrat, vt ab amore illius nulla tentatione recedant. Et hoc est signum euidentis præsentiae Spiritus sancti. Dicit enim Chrysostomus, quod omnes species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate, possunt habere serui diaboli in simulatione. Solam autem charitatem Spiritus sancti non possunt habere. Idē hanc priuatam speciem charitatis sibi seruauit Spiritus sanctus, quia per nullius testimonium sic agnoscitur, vbi sit Spiritus sanctus, sicut per gratiam charitatis. Hinc etiam secundum Bernardum libro de charitate: Solus amor est, quem à nobis Deus exigit, etiam cū beneficijs nos obruit, aut flagellis corripit, aut mandatis astringit. *Plenitudo legis est charitas,* & charitatis plenitudo legem continet & Prophetas. Et quicquid lege diuina, dicitur vel interdicitur, ad solum amorē reducitur. Solue tributum amoris, & Domino noueris satisfactum. Quid enim nobis prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, & in disciplinis austeritas, si desit charitas? Quædam sunt charitatis obsequia, placentia, & placantia, si in charitate fiunt, sed sine charitate nihil profunt. Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio, etiam si *linguis Angelorum fiat*; non fides, etiam si *montes transferat*; nec eleemosyna, etiam si *omnes facultates in cibos pauperum distribuatur*; nec corporis afflictio, etiam si tradatur vt ardeat. Hanc igitur quisque studeat requirere, quæ sola ipsum potest Deo gratum reddere.

Concupiscentiarum remissio.

Tertium denique signum huius amoris est, concupiscentiarum diminutio. Cuius ratio est: Quia quanto charitas Deum diligens in nobis

nobis magis augmentatur, tantò magis à concupiscentijs fluxibiliù
 rerum quis elongatur, & in eo ipsa concupiscentia minuitur, donec,
 secundùm Augustinum, crescente charitate, veniat ad magnitudi-
 nem, quæ maior esse non possit. Et sic paulatim concupiscentia car-
 nis esse desinit, ita quòd spiritui præualere vel resistere non possit.
 Dicit enim Chrysostomus, quòd Spiritus sanctus animam ingre-
 ditur, eam amplectitur, & quasi muro quodam inexpugnabili cin-
 gitur, & non permittit vt carnales concupiscentiæ præualeant
 aduersus eam. Non quidem facit, vt caro non concupiscat, sed tenet
 animam, vt ei non consentiat. Hic tamen diligenter considerandù
 est, quòd, secundùm Richardum super Cantica, quædam est affe-
 ctuosa dilectio, quæ scilicet interdum minus diligentem & minus
 perfectum plus afficit. Non ergò quisque tantum diligit, quantum
 hanc affectuosam dilectionem sentit, & quantum in illo statu sibi
 diligere videtur: sed quantum in virtutibus & charitate fundatus
 fuerit, & in seruandis mādatis fidelis habetur. Nam dulcis in Deum
 affectus, quodammodò carnalis est & fallax, & interdum potius hu-
 manitatis, quàm gratiæ: cordis, quàm spiritus: sensualitatis, quàm
 rationis: ita, vt magis accendatur aliquando ad minus bonum, & ad
 maius bonum minus afficiatur, & ad aliquid, quod amplius sapit,
 quàm quod expedit. Hoc affectu discipuli errabant, qui carnaliter
 Christum diligebant, cuius præsentia carere volebant. Vnde tan-
 quam non diligentes eum arguebantur, qui quòd delectaret, magis,
 quàm quòd expediret amplectebantur. Sic affectuosè quandoque
 carnalis aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quòd valde
 diligit, sed quòd gratiæ dulcedinem degustet. Quæ quantum du-
 rat, tantum iuuat: & quamdiu durat dulcedo, tamdiu durat dile-
 ctio. Sed non agnoscitur in bonis istis amicus. Nam interdum hanc ma-
 gis sentit qui leuis est corde, & inops gratiæ. Quia facilius mouetur,
 qui leuior fuerit, & expers consolationis, delectabilius oblata re-
 cipit. Cuius dulcis affectus causa interdum est, non gratiæ copia, sed
 mentis inopia. Exigua namque lætificant pauperem. Cùm ergò sic
 Deus vocat per gratiam visitantem, homo viuaciter respondere
 debet per voluntatis illius impletionem. Quia vocatio Dei non fa-
 cit hominem perfectum, sed obligat ad perfectionem. Responso
 verò perficit per diuinæ voluntatis impletionem, & deducit ad per-
 fectionem. Fit etiam aliquoties affectus ille dulcis à malo spiritu, vt

Dilectio
affectuosa

Ioan. 16.

Ecc. 12.

dum illi nimis creditur, vel eius oblectationi per gulositatem inni-
gitur, ei que, dum valde delectat, inhæretur, ad debilitatem corporis
homo perducatur, ut vel per illius occupationem ab utiliori opere
reuoceatur, aut ut eius abundantia fretus, iamq; se perfectum existimas,
minus ad profectum virtutum exciteatur, vel certe, ut summam exerci-
tiorum ad illa capessenda, tanquam ad finem principalem dirigens,
eisq; vitiosis oblectationibus ad propriam damnationem abutens,
à iusto iudice æquitate sua inflexibili æternaliter reprobetur.

De quarto scalarum gradu amoris, qui dicitur Amor calidus.

Cap. XXXIV.

QUÆRIT Doctor sanctus secunda secundæ, Quæstione 2 Vtrum
Deus amari potest totaliter, præsertim cum amor sequatur co-
gnitionem, sed Deus non potest totaliter à nobis agnosci, &
ergo per consequens nec amari. Ad hoc respondet ibidem: Quod cum
dilectio intelligatur quasi medium inter amantem & amatum, illa to-
talitas dilectionis, tripliciter intelligi potest. Primò, ut modus tota-
litas ad rem dilectam referatur: & sic Deus totaliter est diligendus,
quia totum, quod ad Deum pertinet, homo diligere debet. secundò,
quod modus totalitatis ad diligentem referatur: & sic iterum Deus
totaliter est diligendus, quia ex toto posse suo debet homo Deum
diligere, & quicquid habet ad amoris Dei ordinare, secundum illud
Deuteronomij: *Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Ter-
tiò, potest intelligi secundum comparisonem diligentis ad rem
dilectam, ut scilicet modus diligentis adæquetur modo rei dilectæ,
& hoc esse non potest, quia cum unumquodque in tantum diligibili-
le sit, quantum est bonum: Deus autem, cuius bonitas infinita est, infi-
nitè quoq; diligibilis est: sed nulla creatura Deum potest infinitè di-
ligere, eo quod omnis virtus creaturæ finita est: siue naturalis sit, si-
ue infusa. Ex hoc tamè quod Deus infinitè diligibilis est, nullus ter-
minus imponitur augmento charitatis in statu viæ. Quia cum chari-
tas viæ participatio quædam sit infinitæ charitatis, quæ est spiritus
sanctus, ipsa charitas secundum rationem propriæ speciei terminum
augmenti non habet. Præterea, causa agens in nobis charitatem, est
infinita virtutis, utpote Deus, & capacitas ipsius creaturæ rati-
nalis, per charitatem semper augetur, ita quod excrescente charitate, su-
percrefcit etiam habilitas ad ulterius augmentum, eo quod per ip-
sam

Deut. 6.

Sanctum cor amantis dilatatur, iuxta illud secundæ ad Corinthios: *Cor nostrum dilatatum est.* Et Psalmista: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ex quibus relinquitur, quod charitatis augmento, nullus terminus in hac vita præfigi potest. Hinc ait Apostolus ad Philippenses: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam.* Vbi dicit Glossa, quod nemo fidelium, etiam multum profecerit, dicat: Sufficit mihi. Qui enim hoc dicit, exit de via ante finem, quia charitas in via semper magis ac magis augeri potest: ergo, *Amice, ascende superius.*

Sciendum, quod naturalis ignis naturam habet calefactiuam, & per consequens conseruatiuam. Omnia namque veterascunt, & tandem deficiunt, quæ virtute ignea non seruantur, vt patet in senibus, in quibus deficit calor naturalis: Et ideo ignis dicitur esse renouatiuus omnium, & naturæ custos: Quia sine virtute ignis, non potest subsistere virtus alicuius corporis naturalis. Ex hac etiam virtute vim habet saporum & humorum alteratiuam. Nam humores in corporibus excoquit, & cibos crudos digerit, in eis omnia superflua consumendo. Quæ cuncta gradui præsentis amoris apte conueniunt, qui dicitur Amor calidus, calorem ignis per effectum subsequens. Et est illorum, qui iam Deo per affectus flammigeros propinquantes, eius ardore tam vehementer incalescunt, quod nunquam in eis hebetudo mentis locum habet. Quia, secundum Richardum, Amor est dulcedo saporis intimi: & quanto quis ardētius amat, tantò suauius gustat, & clarius videt. Hinc Ionathas, postquam gustauit fauam mellis, *illuminati sunt oculi eius.* Et Psalmista: *Gustate, inquit, & videte, quoniam suauis est dominus.* In hoc ergo gradu visum quisque spiritualem internæ contemplationis incipit recuperare. Ad cuius profectum debitam recuperationem, tria necessaria sunt. Primum est, Illuminatio gratiæ, tanquam lumen medium visionis. Sicut enim Deus solem suum oriri faciens super bonos & malos, per eundem ipsum aerem illuminat, quo reddit obiecta terrena nobis visibilia: sic per infusionem luminis gratiæ, nos intrinsecus illuminat, & ad visum spiritualem habilitat. Hæc autem gratia in anima, similis est candelæ in lanternâ, quia hominem calefacit, illuminat, & transradiat, intrinsecus se suo manifestans possessori, si tamen sui ipsius fuerit diligens inspector. Per opera verò exteriora transradians, proximis omnibus lucet virtutibus & exemplis.

2. Cor. 6.
Psalm. 118.

Phil. 3.

Ignis vt sit
calidus.

Amor ca-
lidus.

1. Reg. 14.
Psalm. 33.

Visum in-
terio-
rem
per tria re-
formandū

Gratiæ ad
candelam
collatio.

RIIII 4

Hæc

Hæ igitur illuminatio gratiæ subito mouet, & excitat hominem intrinsecus. Quæ subita motio, primum est spirituales visionem conficiens. Ad quam profectò motionem, mox secundum occurrit, quod est ex parte hominis, scilicet reollectio virium animæ superiorum & inferiorum, tam interiorum, quàm exteriorum in unitate spiritus, utpotè connexarum vinculo charitatis, ut sic pariter liquefactiua quadam virtute dilecto suo se dulciter repræsentent, ad eius occursum iam habiles & bene mobiles effecti. Tertium autem est, plena libertas, ut quoties voluerit, quoties dilecti sui memoratus fuerit, toties à formis omnibus creaturarum liber & absolutus, expeditè valeat ad cor altum ascendere, utpotè pœnitens depuratus à naturalibus passionibus & inordinatis affectionibus animæ, scilicet, odio, amore, gaudio, dolore, vana spe, inani timore, & similibus. Nam nubila mēs est, & turbida, & compedibus vincita, ubi regnant talia. Non igitur eleuetur prosperis, nō deiciatur aduersis. Nulla eum extranea cura sollicitet, nullius eum affectio creature detineat. Et sic hæc tria ubi concurrerint, spirituales visionem efficiunt, quia sunt totius interni exercitij fundamentum.

Anima, ut
dilecto v.
niatur per
tria.

Porro, visu spirituali sic depurato & recuperato, felix anima per gradum huius amoris, dilectum suum in via actiue vitæ sedulè quærat, ut ardore spiritus eidem vniri valeat. Et hoc præsertim in tribus: Primò, recta intentione, ita quòd in cunctis, quæ agit vel patitur, quæ vel adipisci vel vitare desiderat, simplicem cordis seu intentionis oculum, diuino conspectui dumtaxat opponat, & dilectum per intentionem rectam, semper præsentem speculetur: quia recta intentio, est quædam spiritualis visio. Secundò, præcipua dilectione, qua nihil penitus quæ vel plus Deo diligit, sed in omnibus actibus animus rectè intendens, suprapectus Domini, per amorem caput inclinet, ut cui recta intentione coniuncta est, præcipua quoque dilectione iungatur. Tertio, quieta adhesionem, ut scilicet in eo magis quiescat, quàm in omnibus donis eius. Sicque cuncti motus exercitiorum, tam moralium, quàm spiritualium, omnem internæ suauitatis amplexum, etiam diuinitus infuse, intentionis velocitate, ac dilectionis acumine transcendens in Deo, tanquam in motus sui finali termino immobiliter conquiescat. Et licet in hoc gradu amoris, necdum ad plenum hæc attingat, in eo tamen requiritur, quòd ad illa consequenda iugiter & efficaciter anhelare non desi-

desistat. Nam, secundum Augustinum: Ad gratiam contemplationis peruenire est impossibile sine magna sollicitudine & labore: Operet enim ut prius cum labore mentis euagationes reprimat, & ad Deum in unum colligat. Deinde ex tali studio ac consuetudine iam facilius cor suum cohibere præualeat. Ita quod tandem non solum facilius, sed & delectabiliter Deo valet inherere: sicque auulsiō ab huiusmodi quiete, postremum efficitur illi desolatio non modica, quia talibus occupari delitijs semper vellet, si posset.

Cæterum, amoris huius tria signa possunt assignari, quibus luculentius valeat agnosci. Primum est, dona iam larga manu à dilecto suscepta, conseruare diligentius, recolere frequentius, & amplecti feruentius, ut sic & dilectionis illius rememoretur & ad amoris vicissitudinem rependendam, efficacius inflammetur. Hæc sunt autem beneficia creationis, recreationis, quotidianæ uisitacionis, & futuræ promissionis. Quorum omnium memoriale mellissimum & dulcissimum nobis reliquit Eucharistiæ Sacramentum, veluti quoddam veri amoris dotalitium. Quod erit nobis, ut dicitur in Exodo, quasi signum in manu, & quasi monimētum ante oculos nostros. Hinc est, quod ad illius saluberrimam sumptionem, præsentiam, aut certè cordialem recordationem plenius eiusmodi inflammantur, ut potè iam ad ignem amoris diuini propius accedentes, & illi tenacius inherentes. Quorum beneficiorum Bernardus non immemor in libro de diligendo Deum, ait: Si totum me debeo, pro me factō, quid iā ad dā pro me refectō, & refectō hoc modo? Nec enim tam facillè refectus sum quàm factus. Siquidem de me non solum, sed de omni quod factum est, scriptum est: *Dixit, & facta sunt.* At verò, qui me tantum dicendo, & semel dicendo fecit, in reficiendo profectō, & dixit multa, fecit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, sed etiā indigna. *Quid ergò retribuam domino, pro omnibus que retribuit mihi?* In opere primo me mihi dedit, in secūdo se, & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergò & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Sed quid Deo retribuam pro se? Nam etsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum meum? Hic ergò vide quonam modò, imò quàm sine modò, Deus à nobis amari meruit, qui prior dilexit nos, tantus, & tantum, & gratis tantillos & tales. Modus ergò diligendi Deum, est sine modo diligere. Ergò dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in infinitum, & in immensum, quia Deus infinitus est & immensum. Quis-

Ut quis
perueniat
ad contem-
plationē.

Amoris
calidi signa
trita.

Eucharis-
tia amoris
signum.
Exod 13.

Psal. 148.

Psal. 115.

Modus di-
ligendi
Dei quis.

nam, quæso, finis esse debet, vel modus nostri amoris? sed vicem re-
pendimus cum mensura. Diligam ergo te Domine pro dono tuo &
modo meo, minus quidem iusto, sed planè pro posse meo. Qui et si
quantum debet, non possum, non tamen possum ultra quàm possum
potero verò plus, cum donare plus dignaberis, nūquam tamen pro-
ut dignus haberi. Valdè quidè mihi amandus es, per quem sum,
vino, & sapio. Sed est quod plus me mouet, & accendit; quia super
omniate mihi reddit amabilem bone Iesu calix, quem bibisti, opus
redemptionis nostræ. Hoc omnino amorem nostrum facilè vendi-
cat totum sibi. Hoc, inquam, deuotionem nostram blandius allicit,
iustius exigit, arctius adstringit, & vehementius afficit.

Amato, vt
nihil præ-
feratur in
amando.

Secundum verò signum huius amoris est, nihil aliud præter ama-
tum diligere, & propter amatū, vt omnis amor noster ex amore di-
uino sumat originem: & hoc solum propter se, nihil aliud extrinse-
cum attendens. Cuius ratio est, quia talis approximatio diuini amo-
ris amanti legem indicit puritatem amoris. Vnde dicit Bernardus:
Quod anima Deum amans, aliud præter Deum amoris sui præmit-
tere non requirit. Aut si aliud requirit, procul dubio Deum non dili-
git. Et quia dilectio propriè causat adhæsiōnem, idè felix anima,
igne huius amoris calefacta, & dulcedine præuenta, atque agnitio-
ne illuminata, renuit in cæteris penitus consolari, imò potius deso-
lari. Quia nimirum vbertas eternæ iucunditatis, quam hic amor se-
cum attrahit, cætera quæq; desipere facit. Et qui minimam stillā il-
lius obtinuerit & gustauerit, eidem protinus omnis cōsolatio & de-
lectatio transitoria desipit, & in eo sola charitas, suauitasq; diuina

Gaudium
cuiusmodi
animæ a
morosa
Deus in-
fundat.

dulcescit. Ex quo plerumq; in eo consurgit spiritalis quædam iu-
cunditas, & gaudium quoddam in Spiritu sancto, quod ab ipso ani-
mæ dulciter infunditur, vt per illud animus in Deo pro perceptis
beneficijs vel promissis spiritaliter iucundetur. Et hoc gaudium
dupliciter potest accipi Primò generaliter, cū scilicet exurgit in eo
generalis quidam motus gaudij in sancto Spiritu, ex intuitu benefi-
ciorū Dei, & futuræ gloriæ ac bonitatis diuinæ. Quod adeptus fue-
rat Psalmista, cum dicebat: *Benedic anima mea Domino, & omnia, qua in-
tra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci om-
nes retributiones eius.* Secundò, potest accipi specialiter, prout est quæ-
dam mentis hilaritas & confidentia bona ad Deum, ex bono scili-
cet conscientia testimonio, reddens hominem promptum, deuo-
tum,

Psal 107.

rum, & beneuolum ad omnia bona pro Deo facienda, & mala sufferenda, ac omnia quæ Dei sunt, diligenda & promouenda. Vnde bis dicit Apostolus *gaudete*, cum ait: *Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete*. Quia profectò iam amans anima didicit, quòd super omnia Deus à nobis amorem reciprocum exigit, non solum agendo iusta, sed & patièdo iniusta. Vnde Augustinus ad zelotypiam diuini amoris alludens, ait: *Quid tibi sum bone iesu, quòd iamari te iubeas & præcipias, & nisi faciam irascaris, & minaris mihi ingentes miseria?* Cui benè respondet beatus Bernardus, dicens: *Cum amat Deus, nihil aliud vult, quàm amari: & non ob aliud amat nisi ut ametur, certissimè sciens ipsos amore beatos, qui s' amauerint. Vult etiam amari Deus, ne miseriam, quæ extra eius amorem est, incurramus.* Sed ut de cæteris interim sileamus, vnum amoris fructum ponit Rabanus, dicens: *Quòd nihil terribilius est ipsis dæmonibus, quàm quòd in Dei dilectione desiderio æstuamus.* Cum enim mens incendio charitatis Christi æstuauerit, ab ea mox omnis maligni calliditas, versutiaq; discedit. Et inde est, quòd cæteris affectibus fidelis anima renuntians, tota diuino vigorosius incumbit amori: quia summum & verum bonum Deus est. Et ideò solus iste feliciter amat, qui solum verum bonum amat, & tantò felicius, quantò amplius amat.

Tertiù deniq; signum dilectionis huius est extrinsecum, & à duobus prioribus quodammodo causatum, scilicet alteratio quædam & agitatio corporalis ex vigore consurgens exercitiorum spiritualium, præsertim ex aspiratione vehementi amoris vnitiui. Nam humana natura bestialis, carnalis, & indomita, quibusdam violentis & continuis exercitationibus habilitari debet ad spiritualia, velut iumentum indomitum ad iuga corporalia, & onera portanda. Ex quibus violentis exercitijs, præsertim in principio, impetuosè & sedulò prorumpit in diuersos & inusitados pestus corporales, velut ex pers rationis & ebria, sicuti plenius inferius videbitur. Hic tamen inexperis solerter attendendum est, quòd ipsa deuotio quandoque maiori queritur impetuositate & violentia quàm expedit, licet ferè semper eum quadam violentia spiritus, præsertim ab incipientibus (citra tamen animi perturbationem) exquirèda sit, propter eorum affectum & animum ad huiusmodi eleuationes nõdum exercitatum & habitatum. Ratio verò prioris est, quia frequenter ex impetuoso cordis

Phil. 4.

Alteratio
corporis
ex amore.

conatu, ipsa libertas mentis obruitur, dum quali per extorsionem exercitationis accelerare nititur affectum deuotionis. Quam si iuxta votum cordis elicere non praeualeat, mente consternatur, ex hocque magis in animo induratur. Et quo se vehementius ad deuotionem ingerit, eò minus ex hoc ipso proficit, imò amplius in affectu sterilecit. Nam quo liberior, eò pinguior est deuotionis affectus, eò quòd acceleratio violenta spiritum praefocat, veluti dum uuae vel oliuae subita, & nimia vehementia comprimuntur in torculari, uinum aut oleum magis turbidum reddunt, quàm si paulatim cum debita moderatione pressae fuissent. Et ideo ceteris temporibus plerique deuotiores se sentiunt, quàm in praecipuis solennitatibus, cum impetuosius gratiam deuotionis conantur adipisci. Quia tunc spiritus suae libertati relictus, spontè se subleuat in subline: sicut in corpore modesta respiratio est cordis refrigeratio. Licet etiam hi, qui ceteris temporibus in conuersatione custoditi non sunt, à Deo iusto iudicio in summis festiuitatibus ab omni deuotione saepe nudari relinquantur, ut incuriae, negligentiae, & incustoditiae suae iacturam sentiant, & de cetero cautius semper ambulare discant.

De quinto scalari gradu amoris, qui dicitur Amor acutus.

Cap. XXXV.

Quarit Doctor sanctus secunda secundae, quaestione 180. de uita contemplatiua, quam gradus iste propriè uidetur attingere. Vtrum scilicet ipsa pertineat tantum ad intellectum, an etiam consistat in affectu, praesertim cum dicat Philosophus secundo Metaphysicè, quòd finis contemplationis est ueritas, sed ueritas totaliter pertinet ad intellectum. Ad hoc respondet ibidem: Quòd uita contemplatiua illorum esse dicitur, qui principaliter intendunt ad contemplationem ueritatis. Intentio uero actus est uoluntatis, eò quòd intentio est de fine, qui est uoluntatis obiectum. Et ideo uita contemplatiua, licet quantum ad ipsam essentiam actionis pertineat ad intellectum, quantum tamen ad id, quòd moueat ad exercendum talem actum uel operationem, pertinet ad uoluntatem, quae mouet omnes alias potentias, & etiam ipsum intellectum ad actum suum. Mouet, inquam, uis appetitiua ad inspiciendum sensibiliter uel intelligibiliter, quandoque propter amorem rei uisae: quia iuxta uerbum Dominicum: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Et ubi est cor,*

Matth. 6.

ibi

ibi est & oculus. Quandoque verò mouet propter amorem ipsius cognitionis, quàm quis ex inspectione consequitur. Et propter hoc Gregorius super Ezechielem, vitam contemplatiuam in charitate constituit, dicens, quòd vita contemplatiua est charitatem Dei & proximi tota mente retinere, & soli desiderio conditoris inherere. Et hoc in quatum ex dilectione Dei quis inardescit, ad eius pulchritudinè conspiciendam. Vita ergo cõtemplatiua, licet essentialiter in intellectu consistat, principium tamen habet in affectu, in quantum scilicet aliquis ex charitate Dei, ad eius cõtemplationem incitatur. Et quia finis principio correspondet, idè terminus & finis cõtemplationis habet esse in affectu, dum scilicet quis in visione rei amat & delectatur, & ipsa delectatio rei visa semper amplius excitat ad amorem. Vnde dicit Gregorius super Ezechielem, quòd cum quis ipsum, quem amat, viderit, in amorem eius amplius inardescit. Què perfectò visum causat gradus amoris istius, qui dicitur acutus, vt potè cuncta penetrans, nec quiescens, donec dilectum inueniat, & solum possideat. *Amice ergò ascende superiuu.*

Dicit commentator super Dionysium de cœlesti Hierarchia, quòd ignis dicitur acutus, quia ex subtilitate suæ substantiæ naturam habet omnibus alijs acutiorem & penetrabilior rem, ita quòd propriæ virtutis motu subintrat & penetrat vniuersa. Virtute quoq; sua est similitum aggregatiuus, & dissimilium disgregatiuus. Quia si aurum, argentum, & diuersa metalla simul vnita, in ignem fortem projiciantur, vnum quodq; se suo simili coniungit. Sic gradus amoris istius omne pretiosum, id est, spirituale, perfectè separat à vili, id est, ab omni affectu sensuali, vnum complectens, & aliud detestans. Et idè benedicatur acutus, quia, secundum Hugonem, facit quædam impetum & vehementiam ardentis desiderij, vt ibi sit, vbi amat, & cū ipso, & in ipso. Et nõ solum ab illo calidus fit, sed etiam transit omnia velut iaculum acutum in ipsum dilectum. Si enim in dilectum non iret, adhuc foris amaret, nec acutum amorem haberet, nec cum illo vnum fieret. Nam amor vult amantem vnum facere cum amato: & idè propinquat & penetrat, quantum potest, ad ipsum vnum.

Cæterum, amoris huius officium est, luctari quotidie cum conditione naturalis nostræ corruptionis. Nititur enim post viriū inferiorum sedatam tumultuationem, tranquillitatem virium superiorum ferre sursum in dilectum, dissoluens omne medium, & cõ-

Ignis vt
dicatur a-
cutus.

Officium
amoris ac-
cuti.

plectens dulciter que constringens ipsum amatum. Vnde etiam aliquo nomine dicitur insuperabilis, quia conatur omnia superando supergredi. De quo amore etiam dicit Augustinus in libro de moribus Ecclesie: Quod nihil tam durum, tam ferreum, quod non amoris igne vincatur. Et ideo taliter amantibus nihil durum esse potest, nec ullus labor difficilis. Quia qui amat, non laborat, eo quod, secundum Augustinum, nullo modo labores amantium sunt onerosi, sed magis delectant, sicut labores venantium, aucupantium, piscantium, & similia. In eo namque quod amatur, non laboratur, aut certe laboratur. Vnde dicit Bernardus: Labor meus vix est vnus horis: & si plus est, non sentio præ amore. Ita & ipsi iacob videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, qui tamen de labore suo dicit in libro Genes: Die noctuq, estu vrgebar, & gelu, frigebatq, somnus ab oculis meis. Sed vnde hoc fratres? nisi quod, secundum Bernardum, si quis gustu charitatis inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilarescit; laborat, & non lassescit; dolet, & non sentit; deridetur, & non aduertit? O iugum amoris Christi, quam dulciter capis, quam gloriosè illaqueas, quam fortiter stringis, quam suaviter premis, quam delectabiliter oneras? Porro, gradus amoris præsentis à paucis attingitur, quia mens humana, sollicitudinibus distèta non intrat ad se per memoriam, & phantasmatis obnubilata nõ reedit ad se per intelligentiam: ac deniq; cõcupiscentijs miserabiliter illecta, non reuertitur ad se per salutis æternæ & spiritualis lætitiæ desiderium. Et ideo taliter in his prostratus, ad se, tanquam ad Dei imaginem introrsus reuerti non potest: quantum minus ad intima Dei, velut ad cubiculum sponsi, vbi nepotium amoris huius exercetur?

Amoris autem signa quæ.

Sensus interiores quinque.

Huius quoque amoris possunt assignari tria signa, quorum primum est, sensuum interiorum vitalis exercitatio. Ex quorum scilicet argumetosa operatione sensus exteriores quodammodo sopiti redduntur, quia vires vniuersæ ad interiora reducuntur. Quinq; sunt enim sensus interiores in mente, sicut quinque sunt exteriores in corpore: de quibus habetur in spiritu & anima. Causa verò mouens ad hanc vitalem exercitationem, est desideriosus mentis affectus internæ quietis & serenitatis. De qua dicit Augustinus. In omnibus, que mente percurro, non inuenio tutum locum animæ meæ & quietem, præterquam te Domine, in quo colliguntur sparsa mea. Quia quicquid boni in creaturis sparsum est, in æterno bono inuenitur collectum.

Etum. Ergo si quid in hoc seculo possidere delectat, Deum, qui possidet omnia, mente possideamus expedita, & in ipso habebimus quicquid feliciter & sanctè desideramus. Nam sine molestia solus Deus amatur, cum iucunditate complectitur, cum securitate desideratur. Quem quanto quis ardentius amat, tanto melior efficitur. Et quanto nunc amor Dei seruetior, tanto tunc erit eius visio suauior. Et quanto nunc ardentius desideramus eum, tanto tunc eum clarè intuebitur. Et qui amat, non laborat: quia quicquid difficile est in præcepto, leue est amanti. Si enim cum auaris tanta portat cupiditas, nobiscum quare non portat charitas? A more igitur illius ab amore seculi migremus, & amore sursum habitemus. Hinc enim *Dei ex toto corde diligere præcipimur*, vt omnes cogitationes nostras: & *ex tota anima*, vt omnem vitam nostram: & *ex tota mente*, vt totum intellectum nostrum in illum transferamus. Et huius quidem præcepti tangit Bernardus causam super Cantic. dicens, quòd solus est amor ex omnibus animæ nostræ motibus & sensibus, in quo potest creatura (etsi non ex æquo) suo respondere creatori, licet non de simili mutua reddere vicem. etsi minus diligit creatura, quia minor est; tamen si ex toto se diligit, nihil deest, vbi totum est.

Secundū verò signum huius amoris est, continua in Deum & vigorosa quædam erectio & coactio mentalis visionis, quia iuxta commune prouerbiū, vbi amor, ibi & oculus. Et ex eo plerumq; multas illuminationes recipit diuinarum veritatum, eò quòd amor est causa potissima mutue communicationis, attestante Domino, qui ait: *Iam non dico vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæ audiui à Patre meo, not a feci vobis.* Hinc etiam dicit Richardus, quòd ex magnitudine diuine dilectionis dependet modus diuinæ reuelationis. Hoc amore diligere se monstrabat beatus Martinus, qui oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et Psalmista ait: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos*, id est, affectus meos. In hac autem eleuatione continua mentis, anima veraciter efficitur habitaculum Dei. Quia ex hoc inferius spiritualiter angustatur, & superius dilatatur. Dilatatur, inquam diuina charitate, vt repleatur tota Trinitate, quia tota Trinitas per charitatem eius mentem inhabitat, sicut amans habitat in amato, & è conuerso. Nec ita solum, sed & realiter mansionem suam

Math. 22.
Luc. 10.

Visus mē-
tis erectio
continua
in Deum.
Ioan. 15.

Psal. 24.

ibidem cōstituit. Quia charitas est quædam participatio diuinæ nature in nobis. Propter quod dicit Ioannes in Canonica sua: *deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & deus in eo.* De hac igitur anima sic dilatata dicit Bernardus: O quanta est illi animæ beatæ latitudo & meritorum prærogatiua, quæ diuinam in se præsentiam & digna inuenitur suscipere, & sufficiens capere. Quid illa, cui suppetunt & spatiosa deambulatoria ad opus tantæ maiestatis? Non est profectò intricata forensibus causis, curisque secularibus, nec certè ventri & luxuriæ dedita, sed nec curiosa spectandi, nec cupida omninò dominandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namq; primò his omnibus animam esse vacuam, vt cœlū fiat & habitatio Dei. Sed & odio, vel inuidiæ, aut rancori minimè prorsus indulgendum, quia *in maleuolam animam non introibit sapientia.* Deniq; necesse est eam crescere ac dilatari, vt sic capax Dei fiat. Porro, latitudo eius, dilectio eius, sicut ait Apostolus: *Dilatamini in charitate.* Nam etsi anima, cum sit spiritus, minimè corpoream recipiat quantitatem, tamen cōfert ei gratia, quod negatum est illi à natura. Crescit ergo spiritualiter, non in substãtia, sed in virtute; crescit in gloria, crescit in templum sanctum in Domino. Vnde Augustinus ad Dominum loquens in libro Soliloquiorum, ait: Anima nostra ita facta est capax maiestatis tuæ, quod à te solo, & nullo alio possit impleri. Cùm autem habet te, plenum est desiderium eius, & iam nihil aliud, quod desideret exterius, restat. Veruntamen vā animæ miseræ, cui demerito proprio tanto bono priuari, & exercitio tam mellifluo contigerit defraudari. Huius enim in sua pace & quiete, *amaritudo amarissima* cum Ezechia rege proprias calamitates desente. Nam super hoc verbo dicit Richardus: Quod magna amaritudo est in conuersione, cùm quis seculo renuntians ad religionem conuertitur: maior tamen in tentatione, cùm abnegans semetipsum, innumeris inimici tentationibus fatigatur, maxima verò in eternæ & internæ dulcedinis expectatione & impatientis desiderij dilatatione: quando in pace illa, *qua exuperat omnem sensum,* ex parte degustata, ad illam tamen plenè non admittitur. Multum quidem vexat hominem, cùm relinquitur amor mundi: multò tamen amplius cruciat, cùm calcatur amor sui. Veruntamen super omnia transfigit & penetrat cor hominis & excoquit desiderij aestibus amor Dei. Hæc ille.

Tertium deniq; signum amoris huius est, impetuosa quædam & inu-

Anima vt
fiat cœlū.
& habitatio
Dei.

Sap. 1.

2. Cor. 6.

Isai 38.

Phil. 4.

inuſitata, ſubita frequenſq; cordialis attractio, quę perficitur viole
 tiſſima quadam vi amoris ſenſualis in exercitijs ſpiritualibus: Quia
 cor amanti ex tunc magis eſt vbi amat, quàm vbi animat, ita quòd
 mirabilibus amoris geſtibus ad dilectum, quaſi ſaliendo properare
 videatur. Vnde diſcipulus in Horologio ſapientię gradu przuen-
 tus huius amoris ait inter alia: Cor mihi, o amor, abſtulisti, & dilecto
 dedisti, eiq; tam inſeparabiliter conglutinasti, quòd me certis tem-
 poribus quodammodo reliquiſſe putetur. Sed ad hunc gradum amo-
 ris non peruenitur, niſi prius potentię rationalis animę per exerci-
 tiorum frequentiam ad priſtinam perfectionem quodammodo fue-
 rint reducta. Pro quo ſciendum, quòd ratio noſtra cæca facta eſt, vt
 ſepè velit malũ pro bono. Voluntas ſæda, & inſtabilis memoria, ſic
 quòd magis quærunt in ſædis delectari, & vilibus occupari, quàm
 Deo ſuo vacare. Sed ipſa ratio in priſtinum perfectẽ reformatur, cũ
 per mentis exceſum ſupra ſe rapitur, & lumine diuinę intelligentię
 illuſtrata, oculo perſpicaciſſimo Deum, quantum poſſibile eſt, con-
 templatur. Voluntas in priſtinam puritatem conſtituitur, cũ per
 liberi arbitrij conformitatem adhzendo, in amorem diuinum mi-
 rabili tranſmutatione penitus abſorpta ſpiritus vnus cum Deo effi-
 citur. Memoria denique debite perficitur, cũ in dilectũ ſuum to-
 taliter abſtracta, ſuique & omnium inferiorum oblita, veram iam
 deguſtare ſapientiam incipit, ac inebriata dulciter ab vbertate do-
 mus Dei, feliciter in Deo requieſcit. Nam iſte gradus amoris in vo-
 luptate ſpiritualium deliciarum perficitur. In qua voluptate cor &
 omnes ſenſitiuę potentię tanto profluuiio voluptatis internę po-
 tantur, quòd eſtimat ſe fidelis anima, diuini amoris amplexibus pe-
 nitus obuolutam. Nimirũ cũ hæ delitię maioreſ ſint cunctis
 mũdi voluptatibus, etiamſi omnes vna creatura capere poſſet: ideo-
 que voluptas iſta ſtatim ebrietatem ingerit, dicente ſponſo: *Bibite
 mei, & inebriamini chariſſimi. Ibi plerumque repetitur Benjamin adole-
 ſcentulus in mentis exceſſu*, quia mentes nondum in talibus exercitata,
 diuinę dulcedinis vbertatem ſuſtinere non przualent. Eſt enim e-
 brietas ſpiritualis quædam vberior affectiui ſaporis, & internę vo-
 luptatis in corde receptio, quàm ipſum cor poteſt digerere, aut de-
 ſiderium exoptare. Cor enim humanum diuini amoris tripudio,
 vel diuinę fruitionis deſiderio valenter inflammatum, hiantibus
 arterijs in ſe dilatatur, & velut inter anguſtias peccatoris coarctat-
 tum,

Deforma-
 tio virium
 animę.

Reforma-
 tio virium
 animę.

Cant. 5.
 Pfalm. 67.

Ebrietas
 ſpiritualis.

A. 2.

tum, per ardoris violentiam, extra se potenter erumpit, & amoris flammam, quam in se sentit, volens nolensque per indicia exteriora eructuando vel reboando manifestat, ac totum hominem sua violentia commouendo concutit. Quo profecto spiritu zstantes Apostoli *musti* videbantur *pleni*, quod vtrique nouas lagunculas disrumperet solet. Quia talis feruor inexperitis & nondum exercitatis mentibus primitus infusus, minimè valet cohiberi, quin per inusitatos gestus foras erumpat, sicut vinum nouum in vase positum, primitus ebullit, quod idem inueteratum quiescit. Quidam enim cantibus diuinis, & quidam vberibus lachrymis ac singultibus, aut vocibus multifarijs inusitatis indicat vbertatem dulcedinis. Quidam etiam multimodis membrorum inquietis gestibus & importunitatibus occupantur, ita quod coguntur discurrere, saltare, manibus plaudere, membris tremere, vel alia quæque secundum vsum communem inusitata perficere. Et hæc deliciofior est vita secundum cordis affectionem, quæ potest haberi ab homine. Nam quidam eius voluptate intra se liquefcunt, ita quod non remanet vox, neque sensus. Quidam etiam tanta replentur vbertate, quod cor eorum quasi vasculum musto plenum absque spiraculo subitam minetur rupturam.

De sexto scalarum gradu amoris, qui dicitur Amor feruidus.

Cap. XXXVI.

Quærit Doctor sanctus secunda secundæ, quæstione centesima octogesima: Vtrū ipsa cōtemplatio, quæ est officium propriū amoris diuini, delectationem habeat, præsertim cum omnis contentio, & omne certamen delectationem impediatur: sed vt dicit Gregorius super Ezechielem: Anima cum Deum contemplari nititur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exuberat, quia intelligendo, & sentiendo, de incircumscripso lumine aliquid degustat; modò verò succumbit, quia degustado iterum desinit. Ad hoc breuiter respondet ibidem, quod cōtemplatio potest esse delectabilis dupliciter: Primò ratione ipsius operationis, quia vnicuique delectabilis est operatio sibi conueniens secundum propriam naturam, vel habitum: sed cōtemplatio veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale. Ex quod cōtingit, quod omnes homines naturaliter scire desiderant, & per cōsequens in cogni-

Contēplatio
vt delectabilis
est dupliciter.

gnitione veritatis delectantur. Sed adhuc magis fit hoc delectabile, habenti habitum sapiencie, & scientie. Ex quo accidit, quod sine difficultate quis contemplatur. Secundo vero redditur contemplatio delectabilis, ex parte obiecti, in quantum scilicet quis rem multum amatam contemplatur. Sicut etiam contingit in visione corporali, quae delectabilis redditur, non solum ex eo, quod ipsum videre fit delectabile: sed ex eo, quod etiam quis vidit personam amatam. Cui ergo vita contemplatiua consistat in contemplatione Dei, ad quam mouet intensa charitas, hinc est, quod vita contemplatiua delectabilis redditur, non solum ratione contemplationis eius, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, sed etiam ratione diuini amoris, qui scilicet ex contemplatione semper intensior redditur. Et ideo quantum ad vtrumque delectatio illius excedit omnem humanam delectationem, eod quod delectatio spiritualis potior est, quam carnalis, & amor ille, quo Deus ex charitate diligitur, omnem alium amorem excedit. Præterea, licet cet tamen illud quod prouenit ex contrarietate rei exterioris, impedit illius rei delectationem (non enim quis delectatur in re contra quam pugnat) in re tamen pro qua pugnat, cum illam adeptus fuerit quis, in ea magis quam in aliqua alia (cæteris paribus) delectatur: sicut Dominus gratulatur de oue prius perditâ, & reuienta. Et ideo vita contemplatiua præcipue terminatur ad delectationem: nec mirum, cum per eam nobis fit quædam inchoatio prælibatioque futuræ beatitudinis, quæ tunc incipit, & in futuro perficietur. Vnde Philosophus licet gentilis, decimo Ethicorum, in contemplatione optimi diligibilis, posuit vltimam felicitatem hominis. Ergo, *Amice, ascende superius.*

Ignis (vt ait commentator super Dionysium de cælesti Hierarchia, ex natura sua vim habet, inferiorum ad superiora attractiuam. Nam ipsam materiam in quam agit, rarefaciendo dissoluit, ac caloris sui violentia sursum trahit: propter quod dicitur deorsum patiens, & sursum trahens. Faciendo namque motum à centro ad circumferentiam, dissoluit: ærestris in aquosa, & aquosa in aerea, & aerea in ignea. et sic inferiora ducit ad media, & media ad sua superiora. Quæ proprietas apte nobis denotat gradum huius amoris, qui dicitur feruidus. Quia, secundum Linconensem, feruere dicuntur, qui expresso calore sursum supra se feruntur, sed in se proprio potestate recidunt: sicut olla post intesum calorem, ebullire tandem incipit

Ignis vna
habet naturam attractiuam.

Feruere qui dicantur.

capit & feruere, eò quòd aqua calore ignis fursum fertur, sed suo pòdere mox ad ima recidit. Sic nimirum, qui tandem ex accepta Spiritus sancti gratia, supra se feruntur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in se ab actuali supra se eleuatione: Talia, inquam, vicissitudinantes congruè dici possunt, spiritu feruentes. In hoc autè amoris gradu frequenter in quibusdam, præsertim naturaliter impetuosis, dum sese fideliter exercitauerint, exurgere solet tanta vehementia spiritus, & ardoris, quòd ex ea quandam mirabilem cordialis sanguinis ebullitionem, & naturæ concussionem patiuntur. Quæ profectò ebullitio multum est nociua, ac læsua naturæ, cordis viuacitatem tadem debilitans, ac eius meatus, & cõcauitates mirabiliter comprimés, vt sanguis ex tali ebullitione corruptus egressum inuenire nequeat, & ita interiora cordis inficit. Quare tales, vt frequenter postmodum efficiuntur ex compressione cordis melancholici, & remanent tristes, quia natura iam gratiam adiuuare nõ potest, vt potè propter pressuram cordis lethali tristitiæ subdita. Sicut enim naturaliter ex lætitia cor aperitur, ita quoque ex tristitia clauditur: nec lætitiã concipere potest, nisi denud aperiatur. Et idè talibus cautè & discretè est agendum, ne naturam antè tempus destruant. Cæterum quia talis amor tam viuaciter exuberat, exteriorẽ hominem velut emortuum, & sopitum reddit, ita quòd nec penè suimet oblitus, nec verè compos sui cõprobat, secundum illud Canticũ Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat. Dormio, scilicet, secundum exteriorẽ hominem, & cor intus vigilat.* Sicut cum aliquis incipit dormire, ea, quæ circa se sũt, aliquo modo sentit, & intelligit; sed nõ aduertit. Quia cum amatissimam Domini præsentiam, & amplexus eius suauissimos præsentit, tunc omnia impediencia subito deserit, & eliminat, & ad eũ, vnde omnia dona perfecta, & optima profluũt, se toto corde conuertit: sicquẽ mox diuinæ visitationis, & allectionis beneficium consequitur. Quo Deus affectum cordis, & omnes animæ vires fursum trahens, ac ad suam vnionem alliciens, cor amatissimum in tantum afficit, & delectat, quòd toto mox affectu, hiantibus artibus se expandit. Et omnes animæ vires, ad pacis & charitatis vniciunium toto se nisu disponunt, & ornant. His igitur & similibus anima fidelis, tam efficaciter intendens, quid mirum, si interim omnium exteriorum obliuiscatur?

Cant. 5.

* Alias vinculum.

A moris fecundi si.

Huius quoque amoris, ad maiorem euidentiã, tria signa possunt
affi-

affligari. Primum est, viuacissimus quidam cum spiritu diuino cō-
 flatus, eò quòd iste sine medio feliciter cum Deo suo luctari didi-
 cit, vt habetur figuratiuè in Iacob luctante cum Angelo *vsque mane*.
 Veruntamen in hac lucta, præsertim amoris huius, spiritus noster
 quodammodò se per modum habet agentis: quia spiritus Dei, velut
 infirmiorum se simulans cedendo, pleniorum luctandi facultatem,
 & materiam administrat, & vberiorum amplexus sui copiam spiri-
 tui nostro offert. In cuius etiam figura Angelus aduersus Iacob se
 non posse præualere fingebat, dicens: *Dimitte me, quia iam ascendit au-
 rora*. Cui Iacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. O felix lucta, quæ
 talem benedictionem consequitur, in qua mentis serenitatem ani-
 mæ fideli Deus indulgere dinoscitur: vnde ros ille diuinæ consola-
 tionis abundantius defluit, quo confortata, & allecta, diuinam boni-
 tatem nititur luctando profundare, fontem requirens dulcedinis
 huius vbertatem scaturientem. Et hinc nascitur eidem affectus qui-
 dam insatiabilis, quo præter dilectum nihil sibi sufficit, & illum in
 hac vita semper amplius attingere cupit: quia secundum Richardū
 charitas ista semper inuenit, quod adhuc concupiscere possit, &
 quicquid fiat, desiderium ardentis animæ non fatiat. Nam insatia-
 bilis animæ sitis, bibendo non sedatur, sed irritatur, vt semper dile-
 ctus ardentius requiratur, & inde cōflatus ille spirituum causatur.
 Nam dicit Hugo, quòd Deus desiderium nostrū prouocat, & inui-
 tat vt augeat, quando amorem suum in nobis excitat, sed fugiendo,
 vt sequamur, inflammat. Tale enim est cor hōminis, vt si quod dili-
 git adipisci non valet, ampliori desiderio inardescat. Sic enim in Cā-
 tici sponsus adueniens *stat post parietem, prospicit per fenestras*, vt
 quasi lateat, & non lateat. *Mittit manum suam per foramen, tangit spon-
 sam, & vocat eam, & ait: Veni*. Illa vt audit sponsum adese,
 surgit mox, festinat, aperit brachia ad amplexum, liquefcit ani-
 ma, seruent præcordia eius, exultat, gaudet, tripudiat. Sed ille dum
 teneri puratur, declinat, & subito, quasi de medijs elapsus amplexi-
 bus, fugit. Quid est hoc? Dum non quæritur, quærit: dum non vo-
 catur, venit: dum autem quæritur, declinat: dum vocatur, fugit. Di-
 liget autem, & ideo venit, sed quia hinc non diligit, id est, in hoc
 mūdo, in hoc exilio, ideo fugit. Sed vocat nos ad terram suam, quia
 talis amor non decet patriam istam. Nam iucundus amor amœnum
 locum requirit. Anima verò vicissitudinis huius non ignara, dum

gnatia.

Gen. 32.

Cant. 2.

Cant. 5.

Phil. 1. spōsi gratiam præsentiā subtractam senserit, licet dolenter hoc sustineat, dissolui cupiens, & esse cum Christo, fidem tamen, quam erga spōsum habuit non derelinquat, sed omnem diligentiam adhibeat, qualiter irreprehensibilem, & immaculatam sese conferuet, quasi tur tur solitaria gemens, & ad gratiam eius præsentiā aspirans. Pro quo notandum, secundum Richardum libro de contemplatione: Quod qui ad gratiam cōtemplationis proficit, cum illam sibi ultra solitum subtrahi sentit, est quod facere debeat, vnde ad illam recuperandam adiuuari valeat.

Contem-
plationis
gratia vt
recupere-
tur.

4. Reg. 3.

Debet autem intensis meditationibus in se cordis exultationem reparare, & impensa sibi diuina beneficia ad mentem reuocare, & ex hoc se ad profundam gratiarum actionem instigare: sicque tandem internum illud spiritualis harmoniæ organum, ex intimo affectu, in diuinas laudes relaxare. Vnde Elifaus de verbo Domini requisitus, cum spiritum prophetiæ sibi tenuisset deesse, psalter fecit adducere quo psallente, mox in eum insiliuit spiritus prophetiæ. Sic & tu fidelis anima, mentalibus delicijs affucta, quæ soles ad theoreticos quosdam excessus subito quodam gaudiorum tripudio subleuari, huius exemplo discas, quid agere debeas, vt sub necessitatis articulo, velut ad manum habeas, quo te ad assuetas delicias reparare valeas. Quid enim per psalter, nisi quandam in Deum cordis exultationem accipimus? qui tunc adducitur, cum prouida meditatione cordis, ex recordatione diuinorum beneficiorum exultatio reparatur. Psallimus autē, cum ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus.

Psal. 49. Vnde Psalmista ait: *Sacrificium laudis honorificabis me, & illic iter, quo ostendam illi salutare dei.* ex tunc enim præ nimietate gaudij mens se incipit ab omnibus inferioribus suspendere, & ad cœlestia contemplanda quadam alienatione sui transire. est & alius modus, secundum eundem Richardum, recuperandi gratiam contemplationis, scilicet per compunctionem, quæ procedit ex corde deuoto, de quo tangit Bernard. super Cantic. dicens inter alia: Si cui nostrum cum sancto Propheta, *Deo adhaerere bonum est:* & vt manifestius loquar, si quis in vobis est, ita desiderij vir, quod cupiat dissolui, & esse cum Christo, cupiat autem vehementer, sicut ardens, assidue medietur, is profectò non secus, quàm in forma sponsi, suscipiet verbum in tempore visitationis, hora videlicet, qua solet intus astringi quibusdam sapientiæ brachijs, atq; inde sibi infundi sentiet sua-

uiz.

uitatem sancti amoris. Siquidem desiderium cordis eius tribuetur ei, sed cum vigilijs, & obsecrationibus, ac imbre multo lachrymarum quæsitus fuerit, & inuentus, subito, dum teneri putatur, clabatur, & rursus lachrymanti, & insectanti occurrere comprehenditur, sed minime teneri, dum iterum subito, quasi de manibus auolat. Quod si institerit precibus, & fletibus, denudè reuertetur, sed rursus mox disparebit, nec videbitur, nisi iterum toto desiderio requiratur. Et ideo licet de præsentia sponsi, posset esse frequens læticia, non tamen præsentie copia. Quia et si visitatio lætificat, molestat tamen vicissitudo, donec deposita sarcina corporeæ molis, auolet expedita mente sequens dilectum quocunque ierit.

Secundum verò signum huius amoris, est quoddam ardor, & vehemens desiderium, *dissolui & esse cum Christo*, nisi saltem ex proflua charitatis abundantia, pro complacentia dilecti, pro salute proximi, hanc ipsam dissolutionem expeteret, si expediret, esse differendam, sicut Paulus subiunxit, dicens: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, *multò magis* autem manere in carne propter vos. Et beatus Martinus: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Veruntamen felix sponsa dissolutionem exoptat, quia nihil superest quod timeat, nihil quod in terrenis placeat, & ad copiam huius amplexus vehementer aspirat, dicens: Heu mundana mollicies, quæ tactum meum tam miserabiliter decipiebat, & ignoravi bone Iesu, quod tam suavis esset amplexus tuus, tam honestus attactus tuus, tamque delitiosum tibi coniungi. Tuus enim, dulcissime Iesu, amplexus non maculat, sed mundat: tuus attactus non inquinat, sed sanctificat. O Iesu fons vniuersæ dulcedinis, quatum habes deliciofitatis, & honestatis, ac spiritualis iucunditatis, quando *leua tua* æternæ sapientiæ, & cognitionis, est *sub capite*, hoc est, sub illuminata ratione, & *dextera tua* diuinæ clementiæ, & dilectionis *amplexabitur me* in voluntate. Denique, ratio tam vehementis, & ardentis desiderij est, quia in hoc gradu amoris ipsa mens, id est, superior pars rationis, mirabili quadam amplitudine dilatatur, & ad multa contemplanda spiritualiter amplificatur. Quam nimirum cum Deus per suam præsentiam visitat, & ardor diuinæ charitatis inflammat, tunc exclusis subito cunctis cupiditatibus, & omnibus alienis occupationibus, feruens Dei charitas omnia animæ præcordia intus occupat, ac per suam dilectionem dilatatur, ut ad capiendum, & viden-

Desiderij
finis huius
mortalitatis.

Phil. 1.

Cant. 2.

dum Deum capax fiat. Quod utique contingit, cum Deus, qui spiritus est animam visitans, praesentialiter adesse sentitur, & intelligitur. Quia, ut dicit Bernardus, oculus meus intelligentia mea. Unde Dominus aduenturus, ut hospitium suum paratum inueniat, ipsas animae vires adornare solet, ita quod concito memoria ditescit, intelligentia clarescit, voluntas inflamescit. Exinde mens ipsa totum intuitu, & affectum in Deum dirigit, ut ad sua intima dilectum introducat, & in optimo suo collocando constituat. Dilectus enim tuus anima mea, tunc ad intima tua ducitur, & in optimo tuo collocatur, cum ex intimo desiderio, spreto rebus vniuersis, solus per dilectionem amplectatur. Nam quamdiu poteris ex aliena quacunque consolationem accipere, nondum audeo dicere, sinum tuum intimum ardentissimi amoris dilectum possidere. Quod si illum introducere non fatagis ad intima tua, quomodo te credam posse sequi ad sublimia sua? Unde merito concludit Richardus, dicens: Quod certum signum fit tibi, quaecunque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab eo minus diligeris, si ad illos theoreticos excessus nondum vocari, vel vocantem nondum sequi merueris.

Zelus salutis proximi.

Tertium denique signum huius amoris est, quod sine retractione cordis pro salute proximi paratus inuenitur mori, aut quaecunque aduersa pati. Quod fit, quod quantum ad naturam, & gratiam, ac aeternam salutem omnes inimicos velut amicos diligit. Cuius ratio est: quia dicit Augustinus libero de gratia, & libero arbitrio: Quod parua charitas non sufficit ad implenda magna mandata, sed talis dilectio perfectorum est, dicente Domino: Diligite inimicos vestros, benefacite huic qui oderunt vos, & orate pro persecutoribus, & calumniatoribus vos, ut sitis perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est. Et iterum: Ut sitis sicuti pater vester, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Et hoc facit amor, quia dicit Hugo de arrha anime: Quod amor transfert amantem in similitudinem amati, in quantum potest, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad operationes arduorum, & difficultium.

Matth. 5.

De septimo scalari gradu amoris, qui dicitur Amor superferuidus.

Cap. XXXVII.

Querit Richardus super tertium distinct. 24. Vtrum passio amoris sit essentialiter transformatio appetitus sensitiui, praeter-

cum dicat Hugo de artha anime: Quod ea vis amoris est, ut te talem esse necesse sit: quale illud est, quod amas. Et cui per affectum con-
 iungeris, in ipsius similitudinem, ipsa quodammodo dilectionis
 societate transformaris. Ad quod breuiter respondet: Quod amoris
 passio est essentialiter transformatio appetitus sensitui in aliquam
 similitudinem amati. Talis igitur amor, passio quaedam est, non de-
 structiua que assimilatur corruptioni, cuiusmodi passio secundum
 aliquos est odium, sed est passio saluatiua, quæ in hoc magis assimi-
 latur generationi. Talis enim passio, est transformatio quaedam pa-
 zientis, in similitudinem agentis. Sicut aerem istum à luce pati, est
 ipsum in similitudinem lucis transformari, quæ est lumen. Amoris
 ergo passio, est appetitiuæ potentia transformatio. In qua scilicet
 immediatè est amoris passio, & hoc in similitudinem istam passionis
 agentis. Passionem autem agens, est bonum cognitum conueniens
 sensitivo appetitui, eo modo, quo obiectum est causa passionis. Et
 sic amor est transformatio appetitus sensitui, in similitudinem talis
 boni. Ex quo plerumque sequitur ecstasis quædam, præsertim secun-
 dum partem appetitiuam, quia, secundum Dionysiu, diuinus amor
 ecstasim facit, in quantum scilicet hominis appetitum in rem ama-
 tam tendere facit. Dupliciter enim causatur ecstasis, ut dicit Sanctus
 Thomas 1.2. qu. 29. Primò, secundum vim apprehensiuam, cum sci-
 licet ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel cum ad superi-
 ora sublimatur, ad comprehendendum ea, quæ sunt supra sensum, &
 rationem. Tunc enim dicitur ecstasim pati, in quantum ponitur ex-
 tra connaturalem apprehensionem rationis, & sensus: vel quia ad in-
 feriora deprimitur, ut cum quis in furiam, vel amentiam cadit, di-
 citur ecstasim passus. Secundò, secundum vim appetitiuam, dicitur
 aliquis ecstasim pati, cum appetitus alicuius extra se quodammodo
 vigore sui impetus exiens in alterum fertur. Et istam ecstasim pro-
 priè, & directè causat amor intensus. Primam verò facit dispositiue,
 in quantum scilicet meditari facit de amico. Nam intensa meditatio
 vnus, causat abstractionem à cæteris vniuersis. Et dum meditatio
 ad amatum dirigitur, confestim charitas inflammatur, & exercitij
 spiritualis actualitas vigoratur. Vnde Psalmista ait: *Et in medita-
 tione mea exardescit ignis*, scilicet charitatis. *amico igitur ascende supe-
 rius.*

Ecstasis
causari
bisariam.

Psalm. 38.

Commentator super Dionysium de cælesti Hierarchia ait, quod
 V u u u u ignis

Ignis ut
sublime
petat.

ignis inter omnia elementa situm habet sublimiorem, quia ponitur immediatè sub orbe Lunæ. Et hoc ideo, quia naturam habet subtiliorem, & leuiorem. Et ideo dicitur excelsus à Dionysio, quia pòdere carens, sublimia petit, & supereminet vniuersis. Quicquid enim corporeum est, naturaliter sub eo subsistit: vnde & flāma ignis semper se sursum, tanquam ad proprium centrum eleuat. Est autem flāma materia ignea accensa in aerea substantia. Aer enim propter substantiæ suæ subtilitatem, & immediatam, quam habet cum sphaera ignis vicinitatē, de facili ignitur, & in materiam igneam commutatur. Et quantò substantia aerea purior est, tantò flamma lucidior, & clarior erit, ac naturæ lucis similior videbitur. Denique flamma naturaliter sursum mouetur, & ab omni parte rei accensa, linealiter in acutum sursum tēdit. Et sic in extremitate sua formam habet pyramidalem, & acutam. In angulo verò acuto propter concursum radiorum, sui caloris actionem fortius imprimit. Et ideo in summo pyramidalis angulo, materiam sibi appositam citius incendit. In omnibus autem prædictis, effectum huius amoris aptissimè nobis exprimit, qui gradus amoris à beato Dionysio vocatur superferuidus, de quo dicit Hugo: Nescis quoniam id quod superferuet, quadam caloris, & lacendij sui violentia, iactatur extra se, totaliterque supra se, & facit motionem magnam inuisibili æstuatione? Quod enim prius acutum fuerat in dilectione, ob obstantia cuncta penetrās, iam superferuidum fit, & ebullit, in semetipso stare non valens, quia etiā sese contemnendo relinquit. Nam ille, qui solum hoc appetit, quod amat, in illius etiam comparatione semetipsum despicit qui amat. Neque enim verè solum illud appeteret, si vel seipsum cum illo amaret: sed hoc facere nō potest, nisi magnus & singularis amor. Hic enim nec se capit, & modum nescit. Vnum autem scit, quia quisquis amat, modum habere nescit. Nimirū, quoniam iste cum Deo suo feliciter, quā prior colluctatur, eò quòd spiritus diuinus sese iā profusus & vigorosius applicans, se nostro spiritui conferre dignatur, vberiore colluctandi facultatem indulgendo. Quod citò presentians anima fidelis, in illum tanta fertur aueritate, velut si totum in creatum, & incomprehensibile bonum, comprehendere niteretur, cum tamen ipsa creata sit. Et hoc ideo facit, quia amor eius modum nescit. sed ex hoc conuerso, quanto maiori conatu dilecti totalitatem pertransire nititur, tantò profundius ab eodem feliciter absorbetur.

Flammæ
natura.

Amor superferuidus.

betur. Sicut à simili pisciculus fluuiatilis hamum escatum deglutire cupiēs, protinus capiēns capitur, & sursum ad littus attrahitur. Hinc etiam amor iste vocatur alio nomine amor violentus, eò quòd amoris huius aculeus mentem hominis medullitus penetrat, & affectum flammigeris anhelationibus trāsuerberat, adeò quòd æstum desiderij sui cohibere non præualens, impetu vigorosissimo sedulè superferueat, & humanæ naturæ violentiam non modicam inferat, quia sic amantem in amatum importunitate sua transformare nititur. Nam charitas, vt dicit Abbas Iohannes, secundum qualitatem est similitudo, quantum hominibus possibile est: secundum operatione verò est ebrietas animæ: secundum autem proprietatem est fons fidei, abyssus longanimitatis, & mare humilitatis.

Huius igitur amoris, ad maiorem euidentiam, tria signa possunt assignari: quorum primum est, quotidianus excessus in iubilū mentis, de quo dicit Psalmista: *Beatus populus qui scit iubilationem.* Iubilus autem, secundum Gregorium 34. Moralium dicitur, quando gaudium inestabile mente concipitur, quod nec abscondi potest, nec sermonibus aperiri, & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis proprietatibus exprimat. Vnde Psalmista ait: *Beatus populus qui scit iubilationem,* non qui loquitur: quia sciri quidem mente potest, sed dictu exprimi non potest. Per illā quippe sentitur, quod ultra sensum est, & cum vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia scientis, quando ad hoc exprimendū sufficeret lingua dicētis? Hæc ille. Vnde in hoc gradu amoris plerunq; menti datur quædam simpla & vniformis serenitas, nullis qualiumcunque formarū discretionibus variata. Per quod, inquam, simplex & serenum infusum sibi lumen, inuenit se penitus recollectum, stabilitum, penetratum, & anchoratum, ac in diuinam vnitatem per amorem & intentionem serenissimam totaliter inclinetum. et ex eo per consequens, spiritalis quædam claritas exoritur, partem intellectuam illuminans, & reuelans in cunctis virtutibus luculentissimam veritatem. Quā reuelatione qui acceperit, necessariò reuelationibus, vel attractione superessentiali non indiget. Is igitur super omnia considerare debet diligentius, an perfectam Christi similitudinem gerat in omnibus. Quia per hanc spiritualem charitatem intellectus nofter ad quæuis virtutum exercitia cognoscenda, & arcana sacre scripturæ discretionis acumine penetrada, diuinitus illuminatur. Por-

Vuuu 2 rō,

Amoris
superfer-
uidi signa.
Psalm. 88.
Iubilus.

rò, B. Augustinus huiusmodi dulcedine quandoque præuentus aiebat: Quid est illud dulce, quod in recordatione Dei mei me tangere solet, & tam suauiter afficere, vt iam quodammodo totus à me metipso alienari, & (nescio quo) abstrahi incipiã? Subitò innouor, & totus immutor, & bene mihi esse incipit, vltra quã dicere sufficiã. Exhilaratur conscientia, in obliuionem venit omnis præteritorum dolorum meorum memoria. Exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria iucundãtur, iam iamq; alibi (nescio vbi) me esse video, & quasi amplexibus amoris intus teneor, & nescio quid illud sit. Et cum retinere illud semper, & nõquam perdere, toto nisu laboro, luctatur quodãmodo delectabiliter animus, nõ recedat ab eo, quod semper amplecti desiderat quasi in illo desideriorum omnium finem inuenerit, & ineffabiliter exultat. Nunquid non ille est dilectus meus? vñ ipse est dilectus meus, qui visitare me venit, non vt totum infundat, sed vt gustandum præbeat: non vt impleat desiderium, sed vt trahat affectũ. Cum igitur anima fidelis internã illam dulcedinem degustat, nihil mirum, si amore dilecti totaliter estuat, dicens cum Psalmista: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et ex hoc impetu feruoris irã supra semetipsam nititur, & idẽ bene amor superferuidus nominatur: sed ad infirmitatis suã tenebras concitò fracta relabitur, sicque diuersis vndarum fluctuationibus agitur.

Psalm. 42

Expectatio amantis animæ tædiofa.

Philip. 3.

Secundum proinde signum huius amoris, sunt expectationes tædiofæ. Quia dicit Linconien. super 7. cap. Angelicæ Hierarchiæ: Quod amore tendente in rem amatam, nihil velocius, nihil acutius, nihil penetratius, nihil subtilius reperitur. Quia natura sua nõ quiescit, donec supernaturaliter penetrauerit totam profunditatem, & pertransierit amabilis totalitatem, quantum potest. Et idẽ quãdo cursus amoris huius impeditur, vel in modico retardatur, totamens concussa turbatur, & expectatione sua tædiatur, eò quod taliter amanti nimis longa videtur omnis mora, & omnis expectatio redditur onerosa. Et quoniam amor iste cuncta respuit, quæ aliquo modo officium illius & exercitium impediunt, idẽ præter amatũ, vniuersa fastidium ingerunt. *Omnis,* inquit Apostolus, arbitratus sum vt stercorea, vt Christum lucrifacerẽ. Hinc etiam expellit omne desideriu, excludit omne studiũ, violenter opprimit omne exercitium, quod affectui suo & fini præoptato non militat. Nam quicquid

quid agit, quicquid cogitat, intolerabile videtur, nisi in vnum desiderij finem concurrat. Neque id mirum, cum dicat Bernard. Quod anima, quæ didicerit, & acceperit semel à Domino, intrare in semetipsam, & in intimis suis Dei præsentia suspirare, & quærere faciem eius: talis, inquam, nescio an gehennâ ipsam experiri ad tempus horribilius pœnalitue ducat, quàm post spiritualis studij huius semel gustatam suauitatem, exire denuò ad illecebras & molestias carnis. In cuius persona dicit sponsa in Canticis. Exui me tunicam meam, & quomodo induar illam? lau pedes meos, & quomodo inquamabo illos?

Tertium denique signum huius amoris sunt alta desideria. Cuius ratio est, quia, secundum Augustinum, Omnia ponderibus suis aguntur, & loca sua petunt, grauiâ deorsum, vt lapis; & leuiâ sursum, vt ignis. Sed quod est pondus in corporibus, hoc est, amor in spiritibus. Amor meus pondus meum, eò feror, quocunque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur, inardescimus, & intus ascendimus per ascensiones in corde ad pacem Hierusalem. Hæc ille. Et ideò quânto magis amor accenditur, tantò pariter & anhelosa desideria sursum perfectius efferuntur & attolluntur: nec quiescunt, donec ad amati gratum amplexum & vnionem peruenierint. Ac per hoc in celsitudine vitæ perfectioris per desiderium se subleuant, quòd intolerabile esse iudicant, quicquid illud exterius non sonat, quòd intus amant. Ea verò quæ suis affectibus militant atque subseruiunt, quasi raptu velocissimo, in sublime spiritualis intelligentiæ seelum portant. Quia nimirum in hoc amoris gradu contemplatiua mens, in Deum tam profundè subleuatur, quòd ipsa viuacitas intelligentiæ diuinitus irradiatæ, metahumanæ industriæ transcendit, licet tamen in mentis alienationem non transcat, ita quòd & supra se sit quòd videat, & tamen ab assuetis penitus non recedat. Mens enim præsentia sui Creatoris visitata, & ex eius amore dulcissuè dilatata, propter feruidam Dei charitatem, quam sentit in se natam, vltra se continere non præualens, intuitu mentali sursum se librat, & illum, à quo tam dulciter visitatur, videre desiderat. Cùm igitur sic sursum eleuata dilecto suo per amorem feruidum perseueranter inhæserit, inter illius brachia, tandem suauius ac profundius consopiri iam incipit, ita quòd non solum delectabiliter, sed & tenaciter Deo tunc inhærere se sentiat, ad eò quòd vi quadam abstrahitur à sensu visibilium & memoria.

Vuuuu 3

Quia

Quia sapor ille, mentem spiritualibus delitijs inebriat, & ab exterioribus abstractâ, sua virtute Deo conglutinat. Et quanto amor vehementior, & intelligentia lucidior, tanto validius ac profundius mentem in se rapit, quousque tandem animus cuncta, quæ sub Deo sunt, abijcit, & in solo diuinæ contemplationis radio liberè se figit, licet breuiter in quodam velut corusco luminis cælitus emicantis fulgore. Quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrenam habitatio sensum multa cogitantem. Quanto tamen feruentius ab inferiorum memoria nostra mens ad superna sustollitur, tanto perfectior erit deuotio, & lucidior contemplatio, ac plenior, suauior, prolixiorque diuinorum amplexuum felix inhaesio. Quia simul vtrisque nostra mens intenta esse non potest, eò quòd ab inuicem sicut lux à tenebris diuisa permanent.

Sap. 9.

Esuries amoris quæ

Ex hac igitur subleuatione mentis & puritate contemplationis, in tantum homini accrescit esuries amoris, quòd per excessum sui ipsius se iugiter immolâdo, tandem in operatione sua deficiat, & extremo spiritu defessus, ab amoris igne resolutus, quodammodo dulciter annihiletur. Esurit enim Deum plenè degustare, quem tamen capere nullo conamine præualet, sed in singulis diuinis irradiationibus, ipsemet à Deo comprehenditur, & recenti semper amoris tractu in dilectum trahitur: sicque viribus proprijs paulatim destituitur, sicut Psalmista loquitur de affectu regni cælestis: *Quam, inquit, dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini, sicut vua in torculari pressa deficit, scilicet à se fluens in naturam vini. Vnde idem ait: defecit in salutare tuum anima mea. defecit, inquam, à se fluendo per amorem, in salutare tuum, id est, Christum. Et ex illo tractu amoris diuini talis esuries in eo iugiter renouatur.*

Psalm. 83.

Psalm. 118.

De octauo scilicet gradu amoris, qui dicitur Amor liquidus.

Cap. XXXVIII.

Querit Doctor sanctus secunda secundæ quæstione 29. Vtrum amor causet mutuam inhaesionem, ut scilicet amans sit in amato, & conuerso: sicut de amore supernaturali dicit Ioannes in Canonica sua: *deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, &c.* Non enim videtur possibile, quòd continens sit contentum. Ad hoc respondet ibidem: Quòd effectus mutue inhaesionis dupliciter in-

à Ioan. 4.
Adhæsiō
mutua ut
contingat.

intelligi potest. Primò, quantum ad vim apprehensiuam, & sic amatum in amante esse dicitur, in quantum amatum immoratur in apprehensione amantis, secundum illud ad Philippenfes: *Ed quòd habetis vos in corde.* Sic enim amatum est in amante, in quantum est impressum in affectu eius per quandam complacentiam. E contra verò secundum eandem vim, amans est in amato, in quantum amans non est contentus amati superficiali apprehensione, sed singula, quæ ad amatum pertinent, intrinsecus nititur disquirere: & sic ad interiora illius ingreditur, sicut de Spiritu sancto (qui amor est) dicitur prima ad Corinthios: *Quòd omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Secundò, quantum ad vim appetitiuam, amatum esse dicitur in amante, prout est per quandam complacentiam in eius affectu, ut in eo, vel in bonis eius, per præsentiam eius delectetur, vel etiam in absentia per desiderium: & hoc propter amati complacentiam interius radicatum. E contra verò amans est in amato, Primò, per amorem concupiscentiæ, quæ scilicet non requiescit in quacunquere extrinseca, aut superficiali adeptione vel fruitione amati, sed quærit amatum perfectè habere, quasi ad intima illius perueniēs. Vel, Secundò, per amorem amicitie, quo scilicet reputat bona vel mala amati sicut sua, ut quasi ipse in amato suo videatur bona vel mala pati & affici. Et idè proprium est amicorum idem velle & idem nolle, ac in eodem contristari & gaudere, secundum Philosophum nono Ethicorum, & secundo Rhetor. ut sic in quantum quæ sunt amici, sua, æstimat, amans videatur esse in amato, velut idem factus in eo. O felix in hæsiō, qua Deo sic in hæret, quia cum eo spiritus vnus efficitur. *Amice ergò ascende superius.*

Secundum naturales, ignis ex sua subtilitate virtutem habet sui cum alio corpore immediatissimè vnitiuā, veluti si quodam modo materia vniretur suæ formæ, ut patet in ferro ignito & carbone inflammato, in quibus talis coniunctio vtriusq; perficitur, quòd inter vnus & alterius substantiam, sensibilis differentia non habetur. Et hoc idè quia inter omnia elementa, ignis minimum habet de materia & plurimum de forma, ita quòd propter suam subtilitatem videtur quasi non habere corpulētiam. Additus enim alteri corpori, non videtur ipsum augere, quia ferrum non inuenitur maius ignitum, quàm frigidum, eundem cum illo locum occupans, & gradum huius amoris, qui liquidus dicitur, aptè nobis designans, quo scilicet

cet spiritus amantis & amati felici copula in inuicem fluunt. Nam in amore liquido ipsa mens in abyssum amoris diuini rapitur. Quo scilicet absorpta, sese cum omnibus creatis perfecte relictis; tota liquefcens, in æternum amorem effluit. Dumq; ab illo diuini amoris incendio circumdatur, & intimè penetratur, tunc vndique vehementer inflammatur. Et sic animus humanus seipsum exuens, diuinum quendam affectum induit, ac inspectæ pulchritudini configuratus, totus in aliam figuram transit. Sicut enim ferrum naturaliter nigrum & frigidum, dum in ignis incendio moram facit, paulatim nigredinem deponit, & ignis in se similitudinè trahit, donec totum liquefat, & à se deficiat, ac in aliam penitus qualitatem transeat: sic anima diuini amoris incendio penitus absorpta, prius incallescens, tandem incandescit & liquefcit, à priori statu penè deficiens, & sic vnus cū Deo spiritus efficitur, quia in se tota liquefcit, & in illū, quem diligit, tota liquefcens fluit. Vnde, sicut ignis in se materiam conuertit, in quam agit, sic amor diuinus animam in se conuertit, quam accedit. Et sicut varia metalla igne resoluta, pariter in vnum confluunt: sic Deus, & anima inter se longè diuersa in vnum spiritum per amoris ignem confluunt. Quia ex hoc igne amorosa corda liquefcunt, liquefcendo deficiunt, deficiendo transeunt, transeundo vniuntur, & vnita perficiuntur, dum in illam vnitatem transeundo perueniunt, quam Iesus à Patre postulans, ait: *Rogo Patrem, vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus.* Ita hic liquidus amor post felicem luctam consequitur benedictionem, nec iam de cætero velut agens luctam continuat: sed potius ab affluentia diuini spiritus luctam patiendò prosequitur, eò quòd omnibus viribus ab actionibus suis sabbatizantibus, & veluti penitus destitutis, sola virtus amatiua superior negotium suum prosequi nititur, donec ad intimum amplexum dilecti perducatur, & illic tandem ipsa feliciter absorbeatur.

Ioan. 17.

Amoris li-
quidi sig-
na tria.
Affectio-
nes ecclæ-
stica.

Ceterum, amoris huius similiter tria signa possunt assignari. Primum signum, sunt affectiones ecclæticae: Quia, secundum Dionysium, talis amor in Deum tendens, est faciens ecclæsim spiritus, eò quòd amor non permittit tales amatores esse sui ipsorum per mentis sobrietatem, sed eorum, qui amantur per mētis excessum. Et ideo qui sui non sunt, sed aliorum, extra se sunt. Hinc etiam dicit Bernardus: Quòd non est præsentior spiritus vbi animat, quàm vbi amat. Hic autem

autem excessum charitas facit, quæ per fortissimam suam inclinationem tendentiam causat vehemetem in rem amatam. Vnde dicit Vercellen. in Prologo super Cant. adducens illud Apostoli: *Viuo autem*, vita naturali, iam non ego. Permutationem enim excessiuam ad æternitatis immensitatem, quasi absorptus & officio proprio suspensus dimoueor, doceor, & regor vita super substantiali, cui vnior, qua repleor: *viuit verò in me Christus*, id est, sicut anima sobria me regit naturaliter, & disponit ad omnem actum inferiorem, sic virtus Christi, cui vnior, gratuitò me viuificat, & ad omnia disponit. Et hoc dixit sicut verus amator, qui in solum summè & verè diligibile bonum immediatè, & propter ipsum solum superintellectualiter tendit. Et hic quidem amator diuinum continuè petit osculum illud, quod sponsa præmittit in amoris Cantico, dicens: *Osculetur me osculo oris sui*. Super quo verbo dicit Bernardus: Ego arbitror neminem facile scire, quid sit hoc osculum, nisi qui accipit. Est quippe *manna absconditum*: & solus qui edit, adhuc esuriet. *Fons est signatus*, cui non communicat alienus, sed solus qui bibit, adhuc sitiet. Nò est cuiuslibet hominis, sed si quis semel ex ore Christi susceperit, probabile habet experimentum, quod profectò sollicitat & cogit amplius ad petendum. Hoc osculum, sola & rara perfectio experitur. Oportet enim sponsam Christi, quæ præsumit hoc osculum petere, sponsum suum amare castè, amare sanctè & ardentè. Castè, vt ipsum solum, & non alium amet, petat, vel quærat. Sanctè, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Ardentè, vt ita amore sponsi inebrietur, quod maiestatem non cogitet. Nam si cogitaret, non præsumeret hoc osculum petere veluti ab æquali, ab eo, qui respicit terram, & facit eam tremere. Hoc autem osculum, nihil aliud esse credimus, nisi Spiritum sanctum, ad consolationem animæ sanctæ missum. Sicut enim osculantium spiramen permiscetur, vt vnus anhelitus iudicetur, sic Spiritus sanctus spiritui nostro immisus, fit vnus spiritus cum eo.

O felix sponsa, quæ tali copula digna iudicaris. Nam si viderit te sponsus ad amorem suum inardescere, & impatienti desiderio pallescere, accelerabit ad te, & ad copulam mutuam se offeret, præbebit oscula, iunget amplexus. O lætam diem talium nuptiarum, & felix sponsa tali coniugio digna. Nihil mirum, si tunc sponsus & sponsa cantant amoris cantica. Dicit autem Bernardus: Quòd illa amoris

X x x x x can-

Gal. 2.

Cant. 1.

Apoc. 2.

Cant. 4.

Ioan. 4.

Psal. 103.

cantica, sola vnctio docet, addiscit experientia, experti cognoscunt, inexperti inardescunt. Non est enim strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum, voluntatum, non vocum consonantia, sola que cantat, & cui cantatur, audiunt, id est, sponsus & sponsa, Christus & anima. Qui autem donum hoc consequi desiderat, oportet eum esse in spiritu cum Iohanne, qui ait: *Ego Iohannes sum in spiritu*. Super quo dicit Richardus: Quod hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intra semetipsum totum colligere, & ea, quae circa carnem, vel in carne geruntur, interim penitus ignorare. Talis enim illis solis interest per memoriam & intellectum, quae in spiritu, vel circa spiritum aëtantur. Spiritum autem esse sine spiritu, est semetipsum extra semetipsum, & supra semetipsum totum effundere, & in illud diuinitatis arcanum totum intrare, & à suo esse transiens, in diuinum spiritum penitus deficere, ita ut ipse iam non sit ipse, eò dum taxat tempore, quo Domino iam incipit altius inhaerere. Et de his bene dicit Gregorius in Homilia quadam: Sunt nonnulli, qui supernae contemplationis facibus accenti, in solo Conditoris sui desiderio anhelant. Nil iam in hoc mundo cupiunt, solo aëternitatis amore pascuntur: terrena quae abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt. Amant & ardent, in ipso ardore suo requiescunt. Quid istos nisi Seraphim dixerim? quorum cor conuersum est in ignem diuini amoris?

Apoc. 1.
Spiritus
esse in spi-
ritu quid
sit.
Spiritus
esse sine
spiritu
quid.

Prospera
omnia &
aduersa
fufcipien-
da de ma-
nu Dei.
2. Cor. 7.
Rom 8.

Secundum signum diuini amoris, est omnia aduersa sicut prospera pro Christo desideranter amplecti, cum Paulo dicente: *Repletus sum consolatione, super abundo gaudio, in omni tribulatione nostra*. Nimirum, quia in hoc gradu, secundum modum aliquem, efficitur anima immortalis & impassibilis. Immortalis quidem, eò quod à vera vita separari non potest. *Qui*, inquit Apostolus, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Et postea subdit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei, quae est in Christo, Iesu Domino nostro*. Sic & impassibilis efficitur, quia nulla damna, nullumque dispendium sentit: sed in omni aduersitate dulciter hilarescit. Quia quicquid illi infertur ad poenam, totum praesumit ad gloriam. Hinc etiam nullam resistantiam praetendit, nisi in his dumtaxat, quae separationem à Deo, vel elongationem causare noscuntur: sicut metallum liquatum, ad tactum cuiuslibet rei protinus cedit, quod non liquatum resistit. Cuius est ratio, quia talis amor men-

sem ab amore vitæ presentis funditus auerit, & occidendo velut insensibilem reddit, ita quod pœnam quamcunque, & ipsam denique mortem cum gaudio suscipere facit. Nec propter hoc ab amore desistit, vel in minimo tepescit, sed magis inardescit. Vnde sponsa, cum dilectum quæsisset in lectulo, nec inuenisset: *Surgam*, inquit, *& circumbo ciuitatem, per vias & plateas quaram, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni, sed inueniunt me vigiles, qui circumceunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me custodes murorum.* Mira res, quod nihilominus statim subinfert: *Aduro vos si in ierusalem, si inueneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia non persecutione, tribulatione, passione, aut vulneratione, sed quia amore languo.* Vnde putamus hanc insensibilitatem procedere fratres? Nunquid ab ebrietate vini illius, de qua dicitur libro Prouerbiorum: *Verberauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi?* & non potius ab illa, de qua dicit Psalmista: *Inebriabuntur ab ebrietate domus tua, & torrente voluptatis tuae potabis eos?* Quam voluptatem scriptura nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, ut ostendat, quàm parua sit ad comparisonem futuræ plenitudinis, & quàm magna in comparatione cuiuslibet mundanæ iucunditatis. O dulcedo miranda, quæ tam magna, quod omnem mundanam dulcedinem excedis: tam parua, quod de illa plenitudine vix stillam modicam decerpis. Modicum enim quid de tanto felicitatis pelago mentibus instillas, mentes tamen, quas infundis, plenè inebrias. Meritò tantillum de tanto, gustus quidam dicitur. Meritò nihilominus, quæ mentem à seipsa sic alienat, ebrietas appellatur. Per quam voluptatem amara cuncta dulcorantur, secundum Augustinum, sic dicentem: *Tua dulcedo Domine craticulam Laurentio dulcem fecit: tua dulcedo Stephano torrentis lapides dulcorauit: pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij.* Ibat & Andreas ad Crucem securus & gaudens, quia ad tantam dulcedinem properabat. Hanc gustauit Petrus, dum inferiorum oblitus clamauit, quasi ebrius: *Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Hic moremur, & te contemur. Quo habito, nullo alio indigemus. Sufficit nobis te videre, sufficit tanta tua dulcedine satiari. Vnam stillam istæ tuæ dulcedinis degustauit, & omnem aliam dulcedinem

Pſalm. 31.
Liquet
atio ſpiri-
tus.

fastidit. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem diuinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti diligentibus te?

Tertium lignum est, pro vicissitudine diuinæ visitationis pati liquefactionem, aut sustinere languorem. Dum enim auster afflauerit, protinus liquefactionem patitur, id est, quandam emolitionem, per quam anima per omnia flexibilis redditur ad diuinum beneplacitum, & præcipuè ad amandum Deum, liquefcens ad recipiendum diuinæ inactionis multisariam impressionem: vt sicut liquor liquor, sic spiritus Dei spiritui hominis influens misceatur, & anima cum Deo spiritus vnus efficiatur. Vnde, secundum Origenem, liquefactio est felicissimus effectus diuinæ consolationis. Liquefcit, enim mens, dum deuotione mollescit, vt sponsus in ea suauiter cubet, & nihil duri ei obstat. Liquefcit, inquam, cum deuotione calefcit, vt dilectus in ea calorem diuini amoris inueniat, & quasi quidam contactus spiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liquefcit denique, dum deuotione superaffluit, vt Deus solum & plenum dominium in ea obtineat. Tunc enim omnis motus, omnis vsus omnis imperus eius, feliciter in æternitate terminatur, anima mea, inquit, liquefacta est, vt dilectus locus est. O dulcis confabulatio Dei cum anima, & in anima, quorum virtute & auditu verborum corda liquefcunt, & liquefcendo deficiunt ab eo, quod fuerunt, & deficiendo perficiuntur in eo, in quem fluunt.

Cant. 5.

Languor
spiritus.

Porro, flante aquilone, mox anima in languorem incidit, cum diuini complexus osculum consequi non valet. Quo tamē carcere non volens, amoris impatientiā patitur, tã exteriora, quam interiora, intolerabili æffuacione perurgentem. Qua durante, nullius eam vsus creaturæ delectat, omnia sustinere paratam, vt id, quod amat, obtinere valeat. Hęc autem amoris impatientia cor amantis depascit, & sanguinem eius bibit, totum hominem marcescere faciens. Vnde Bernardus, huius aliquando visitationis vicissitudinem passus, ait: Verbum mihi ad te est, ô rex seculorum Iesu Christe. Ausu charitatis colloqui tecum præsumo, factura manus tuæ, & adire te. Vsq̄quo sustinebo absentiam tuam? expectationem faciei tuæ quanto tempore feram? Vsq̄quo ingemiscam, & stillabit post te oculus meus? Amabilis Domine vbi habitas? Vbi est diuersorium tuum, in quo lætus recumbis inter charissimos tuos, & satias eos manifestatione gloriæ tuæ? Quam felix, quam sanctus, quanta

COR-

concupiscentia appetendus est locus, iste deificæ voluptatis, locus perennium deliciarum. Non accessit oculus meus, nec appropinquavit cor meum, usque ad multitudinem dulcedinis tuæ, quam intrinsecus abscondisti filiis tuis. Solo eius odore utcumque sustentor, & spiramentum suavitatis tuæ de longinquo venit ad me, quæ est mihi super odorem balsami & fragrantiam thuris & myrrhæ, omnisque generis suaavia odorama, & concupiscentias mundas parit in me, quarum est aduultio delectabilis, vix tamen portabilis.

De nono scilari gradu amoris, qui dicitur Amor inaccesibilis.

Cap. XXXIX.

Querit Doctor sanctus secunda secundæ, quæstione centesima octogesima: Vtrū vita contemplatiua secundum statum vitæ presentis pertingere possit ad visionem diuinæ essentiæ, sicut videtur dicere Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Ad hoc respondet, quod in hac vita quis potest esse dupliciter. Vno modo secundum actum, in quantum actualiter sensibus corporis utitur: & sic nullo modo contemplatio presentis vitæ pertingere potest ad videndum diuinam essentiæ, sicut ait Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram, quod nemo videns Deum, viuit vita ista, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis. Vnde non est intelligendum, quod Iacob viderit Dei essentiæ, sed quod vidit formam imaginariam, in qua Deus illi locutus est. Alio modo potest esse quis in hac vita potentialiter, & non secundum actum, in quantum scilicet eius anima est mortali corpori coniuncta ut forma, ita tamen quod non utitur sensibus corporis, aut etiam imaginatione, sicut contingit in raptu: & sic contemplatio vitæ presentis ad visionem essentiæ diuinæ pertingere potest. Vnde supremus gradus contemplationis est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum vitæ presentis & future. Iste verò raptus fit cum quadam violentia, qua quis ex diuina virtute subleuatur ad aliqua supernaturalia contuenda, eum abstractione à sensibus. Licet enim naturale est homini, quod per sensibilibus apprehensionem in diuina tendat, quia hoc ad hominis dignitatem pertinet, ut ad diuina subleuetur, eò quod factus est ad imaginem Dei: quod tamen eleuetur ad diuina cum abstractione à sensibus, non est homini naturale: quia cum bonum diuinum

Gen. 32.

Raptus ut est supremus gradus contemplationis.

XXXX 3

in

in infinitum humanam excedat facultatem, indiget homo, ut super naturaliter ad illud bonum capessendum adiuetur, quod fit per beneficium diuinæ gratiæ. Cum ergo mens per raptum eleuatur, hoc non est contra naturam, sed supra naturæ facultatem: sicut si lapis cogatur descendere deorsum motu alieno, quàm sit motus eius naturalis. Quem motum in mente potissimè causat intensa charitas collata diuinitus, seò perficit ipsa charitas increata Deus. *Amice ergo ascende superius.*

*Ignis ut
transmutet.*

Ignis, secundum naturales, naturam habet immutatiuam, quia naturam omnium rerum, in quantum agendo superat, in suam speciem transmutat. Materiam enim, in quam agit, apprehendens non deserit, sed incorporando in suam similitudinem conuertit. Apprehendens verò non apprehenditur, quia consumpto eo, in quod agit, statim in se resilit, & inuisibilis permanens, ad centrum suum tendit. Nã in esse suo nobilissimo consistit inuisibilis & occultus. Pro quo notandum, quòd propriè dicitur ignis in sua sphaera, ubi scilicet inuisibilis nobis perseverat, licet tam igneum elementi, quàm igneum celi lucidum sit in se. Flamma verò dicitur in materia aeris, in qua nobis apparet visibilis, propter aeris crassitudinem, & materiæ, in qua alitur, scæculentiã. Carbo verò dicitur, aut potius pruna in materia terrea, seu scæculentiã materiæ grossioris. Hinc etiam ignis à Dionysio dicitur incorporeus, eò quòd in subtilitate propriæ substantiæ non cernitur, & sic naturæ spirituali multum approximare videtur, quasi medius inter visibilia & inuisibilia. In quatum .n. illis appropinquat, incorporeus est; sed in quantum inferioribus appropinquat, corporeus est, & apicem summum amoris & diuinæ contemplationis aptè designat. Nam amor iste dicitur inaccessibleis, pro eò, quòd ducit ad contemplandam lucem inaccessibleem, non quidem effectiue, sed dispositiue, quia disponit hominem ad hoc, prout est possibile. Vel inaccessibleis dicitur, quia per illum amor æternus & increatus intelligitur, in quem quandoq; fidelis anima à dilecto feliciter subiecta ducitur, immergitur, & baptizatur; sicque ad contemplandam lucem inaccessibleem aptificatur. Nemo namque credat ad diuinæ lucis claritatem, humana argumentatione vel ratiocinatione se posse peruenire: quia si aliqua argumentatione adiri potuisset lumen illud, inaccessibleibile non fuisset.

*Ignis ut
incorporatus.*

Amor ut sit inaccessibleis.

Rorò, qui ad eius contemplationem se præparare nititur, prius se à vitijs

à vitijs vniuersis procul elonget, cuncta terrena funditus rōculcet, bonis operibus se exerceat, affectum suum continēdō sanctis desiderijs inflammer, visitationem spiritus sancti vehementer exoptet, gratiam contemplationis semper efflagitet, & ad amorem vnitium, tāquam ad finem omnium exercitiorum, iugiter aspiret, ac in omnibus his, quousque accipiat contentiosè labore. Curam carnis, etiam in licitis, fortiter & frequēter repellat. Quia, vt dicit Richardus, nunquā affectus humanus ad æternitatis desiderium perfectè inflammatur, nunquam humanus intellectus ad diuinorum contemplationem plenè acuitur, nisi carnis cura in rebus etiam licitis & necessarijs, fortiter & frequenter repellatur. Ante omnia tamen, vt dicit Hugo, per studium dilectionis diuinæ aperitur via cordi nostro, vsque ad cōtemplandum lumē diuinæ maiestatis, vt illic quasi de fonte spiritua- lium donorum aquę descendant per radium cōtēplationis, ad irrigandum & implendum sinum mentis nostræ. Et ideo quantò arde- rius diligunt, velut è vicino profundius prospiciūt. Quia per amo- rem amans amato appropinquat, coniungitur, & vnitur, ac in eius si- militudine transformatur. Vnde ait Bernardus: scio anima mea, si Deum diligis, vi amoris in eius similitudinem transformaris. Felix ergo tempus, & acceptabilis hora, quādo anima in eius dilectionis ac- tu iucundissimo cōstituitur: per quam ipsa totaliter in Deum trās- formatur. Per quam & mens eius ab his, quæ sunt sibi secūdum vir- tutē superioris naturæ, in lumen incircūscriptum rapitur: vbi mira dilectione quadam absorbetur, quam nullus sensus estimare potest, sermo nullus explicare valet. Quia tunc in actu iucundissimo cōsti- tuitur, prosternitur cum spōso suo, cælesti sponso charitatis ample- xibus coniungitur, & ad eius osculū inclinatur: sicq; fit, quod ad il- lius contactum, animus in dilectum cælesti quadam dulcedine subitō transfunditur. Cū igitur in amore diuino sic inebriatus fuerit, non mirum, si omnium quæ sunt obliuif. es, totus in Deum pergat, gustās illud, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Et quoties illā felici- tatem participat, præsentem miseriam ignorat. Quia tanta est ve- hementia charitatis huius, quod eum, quem perfectè semel accendo- rit, extra se constituat, & gustu dulcedinis incomprehensibilis Dei quenter inebriet. Sed, vt dicit Ioannes Scotus, in Glossa super libro de diuinis nominibus, impossibile est quēquam vniri Deo, vel Deū quodammodo fieri, nisi cesset à materialium occupationū disposi-

XXXX + tione,

tionem, tam sensu, quam mente, ut diuinæ simplicitati similior effectus, Deo perfectius uniat. Est enim deificatio similitudo & unitas ad Deum, in quantum licet. Nam forti conatu tales etiam seipsum postponentes, & omnia relinquentes, ad congregantis Patris unitatem, & deificam ipsius simplicitatem anhelantes sunt.

Mentis excessum ex tribus ori-
ri.

Cant. 3.

Ceterum, amoris huius excellentissimi, licet certa signa faciliter assignari non possunt, eò quod in alienatione mentis agitur: hæc tamen alienatio processum habet ex tribus. Primum ex magnitudine deuotionis, cum scilicet mens humana tantò ardore desiderij cœlestis acceditur, quod amoris intimi flamma ultra modum humanum excresecat, quæ statim animam ad similitudinem cere liquefactam à pristino statu penitus resoluat, & instar fumi attenuatam, in superna subleuet. Per fumum enim in Canticis, deuotæ mentis desiderium exprimitur, per quod primum ascendere nos oportet. Vnde miratur Angelici spiritus, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & uniuersi palueris pigmentarij?* Et talis excessus mentis magis fieri solet ex sola desiderij feruētis estuatione, quam ex adiuncta sibi diuina reuelatione. Maior etiam ad meritum illa mentis eleuatio esse videtur, quæ fauente gratia, surgit ex incessione & inflammatione propria, quam illa, quæ surgit ex sola vel aliqua inspiratione diuina. Et huius præctica sumi potest ex naturalibus. Quia sicut ignis corporeus liquorem modicum in vase superpositum, primum ab imis incipit euertere, deinde nunc in hanc, nunc in illam partem iactare, nunc verò sursum, nunc deorsum agitare, tandem etiam ad superiora vasis attollere, donec vas totum ex quouis modico repleuerit. Ad vltimum verò, cum violentia quadam incipit interiora vacuare & foras effundere. Sic spiritus humanus igne diuino succensus, continuatis exercitijs, paulatim magis ac magis estuat, donec tandem ferueat ac superferueat, ac impellentibus desiderijs extra se tandem eiectus, sui que penitus oblitus, & per ecstasim subleuatus, totus in superiora rapiatur, & sic in quandam dulcedinem diuinæ suauitatis absorbeat. De qua dulcedine dicit Richardus: *Quod nihil in hac vita sentitur iucundius, nihil ita animum ab amore mundi elongat, nihil ita mentem contra tentationes roborat. Quem enim talis gustus inebriauerit, ad omne opus, & omnem laborem hilarescit, laborat, & non lassescit; festinat, nec deficit; dolet, nec sentit; laceratur, & nescit; irridetur, & non aduertit.*

Se-

Secundò verò processum habet ex magnitudine admirationis. De qua Richar. lib. 6. de contemplatione dicit inter alia: Quis nesciat, inde fieri admirationem, cum aliquid cernimus præter spem & estimationem? cum aliquid incipis videri, quod vix possit credi? & inde mentis excessus, procedit. Quod satis innuitur in eo, quod dicitur in Cantic. *Qua est ista, qua progreditur, quasi aurora consurgens?* Nam aurora paulatim eleuatur, eleuando dilaturatur, & dilatando clarificatur, & tandem in defectum sui veniens, in diem esse desinit: sic humana intelligentia diuino lumine irradiata, dum intelligibilium contemplatione suspenditur, & eorum admiratione distenditur, quanto ad altiora & mirabiliora ducitur, tanto copiosius dilaturatur. Et vnde ab infimis remotior, inde in semetipsa purior, & ad sublimia subtilior inuenitur. Cum ergo sic semper ad altiora crescit, tandem aliquando crescendo, humanae capacitatis metas transcendit, vt à semetipsa penitus deficiat, & in supermundanum quendam affectum totaliter transformata, super semetipsam eat. Et sicut lux matutina crescendo desinit, non quidem esse lux, sed esse lux matutina, vt ipsa aurora non sit iam aurora: sic humana intelligentia, ex magnitudine dilationis suae quandoque accipit, vt ipsa iam non sit ipsa: non quidem vt non sit intelligentia, sed vt iam non sit humana, dummodo mirabili immutationeque incomprehensibili efficitur plus quam humana, dum *gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformatur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Vnde si vas aquae radio solis supponas, ipsam mox aquam videbis, ex se luminis splendorem in superiora transfundere, & claritatem quidem, absq; calore tamè, in summa leuare. Quid est aqua, nisi cogitatio humana? Quae semper ad inferiora labitur, nisi sub magnae discretionis moderamine cohibeatur. Aqua ergo in vase collecta, est cogitatio meditationi intenta, & per intentionem defixa. Cui solis radius se infundit, cum diuina reuelatio meditationi occurrit. Sicut igitur aqua, cum radium in se superni luminis accipit, fulgore quoque luminis ad superiora emittit, quo ipsa per se nullo modo ascendere valet. (Et cum tanta sit differentia aquae & luminis, radio tamen, quem de se lumen emittit, aliquid suae similitudinis imprimi, ita vt tremula tremulum, quieta quietum, purior puriorem, diffusior diffusorem efficiat.) Sic etiam cum reuelatio luminis illius inaccessibilis, cor humanum irradiat, supra semetipsam humanam intelligentiam leuat. Et illic intelligentiae radius infusione diuini luminis, &

Yyyy

admi

Admiratio
causans mē-
tis excessus
sum quæ.

Cantic. 6.

2. Cor. 3.

admirationis reuerberatione, de imis ad summa resilit, vbi nulla ingenij perspicacia, nulla artis industria, humana ratiocinatio concendere sufficit. Et quantò perfectius pacem & tranquillitatem animus ad intima componere præualuerit, tantò firmitus & tenacius in hac subleuatione summa luci per contemplationem adhaerebit. Et quantò purior ad integritatem, tantò diffusior ad charitatem, & perspicacior capaciorque reperietur ad supercaelestium contemplationem, ac vberior gustus ad fruitionem. Quibus feliciter allectus animus ad summam totius conatus in diuinarum rerum contemplatione constituit, vt si ab ea paululsum vel inuitus cogitationibus violenter abstrahitur, hoc ipsum quasi quoddam sacrilegij vitium in se punit & execratur: quicquid ab illo vero lumine mentis conspectum retrahit, ac in quibus iste mundus versatur, vniuersa fastidit.

Exaltatiōis
magnitudi-
nis.

Cant. 8.

Tertiò denique processum habet ex magnitudine exultationis: quòd modus alienationis mentis satis exprimitur in Canticis, vbi dicitur: *Quae est ista quae ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Si namque per desertum intelligitur cor humanum ab omni tumultuatione separatum, quis erit ascensus de hoc deserto, nisi humanae mentis excessus? quo se mentis alienatione deserens, & ipsos caelos pertansiens, spiritus se totum solis diuinis per cōtemplationem & deuotionem immergit. Cuius causa subnectitur, in eo, quòd delicijs spiritualium gaudiorum affluere describitur, quas alii de consequi non valet, nisi ex intima illa animi iucunditate, & diuinitus infusa dulcedine. Non autem dicitur delicijs habens, sed *delicijs affluens*; quia non quolibet harum deliciarum experientia, sed earum affluentia, talem ascensum, qui de deserto fit, gignit & perficit. Nam eo tempore, quo caret anima hac influentia, ad ascensum hunc (de quo nunc loquimur) surgere minimè valet, quoniam in ascensu tali, delicijs eam affluere necesse est. Hinc merito dilecto suo dulciter ac tenaciter inniti describitur: quia non proprijs viribus in hunc ascensum, sed illius virtutè sustollitur, qui sua dignatione dilectam suam deducit *in nube dicit, & tota nocte in illuminatione ignis*. Alioqui qualiter ipsa sustineret pondus dicit & estus, nisi sub umbra illius, quem diligit? Vnde licet dilecta semper & vbiq; dilecti sui adiutorio indigeat, ita quòd sine illo nihil incipere, nihilque perficere valeat, nusquam tamen cooperantè gratia vehementius oportet incumbere, quàm eo loco vbi *ascendit de deserto delicia*.

Psal. 77.
Matth. 20.
Lucæ 1.

delicijs affluens. Quia quicquid ei ad consolationem & iucunditatem valere potest, totum ex alieno beneficio & arbitrio pender. Et ideo rectè viribus illius innititur, de cuius munificentia, totum rectè præsumitur, quod speratur, desideratur, & amatur. Denique, secundum Bernardum super Cantic. Fidelis paranymphus, scilicet Angelus vniuscuiusque animæ, qui mutui amoris conscius, sed non inuidus, non suam quærit, sed Domini gloriam, discurret medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens bona, excitat illam, placat illum, interdum quoque, licet rarè, representat eos sibi pariter, siue hanc rapiens, siue illum adducens. Veruntamen per huiusmodi processum & mentis excessus nequaquam peruenire potest ad illum contemplationis apicem, qui est de diuina essentia in lumine deiformi: qui nimirum super omnem humanæ industriæ facultatem esse dinoscitur, nec à quoquam, nisi ex specialissimâ gratia diuinæ largitatis adipiscitur. Nam hoc est bonum illud singulare, de quo Paulus dicit: *Non enim factio bonum quod volo.* Super quo dicit Cassianus in Collationibus Patrum. Rom. 7. Quid autem sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuit perficere cum vellet, diligenter indagemus. Est enim bona castitas, laudabilis abstinentia, miranda prudentia, larga humanitas, circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta iustitia: Quæ omnia in Apostolo ita plena atque perfecta fuisse non dubium est, vt virtutum potius, quàm verborum magisterio ab eo religio Christiana doceretur. Sed vna & sola est theoria, id est, contemplatio Dei, cui meritò omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponuntur, & eius comparatione fuscantur. Summum bonum g. Summum ergo bonum est, Dei conspectui frui, & Christo iugiter inharere. Philp. 2. Quod vt perfectè posset Apostolus adipisci, cupit *dissolui, & esse cum Christo,* vt posset à Christi consortio non auelli. Quod

& nobis feliciter assequi donet charitas Patris, gratia Christi, & communicatio Spiritus sancti.

Amen.

Librorum Theologiae mysticæ R. P. Henrici Harpbij, Theologi & diuinorum contemplatoris profundissimi,

FINIS.

Collegii Socii Jesu paderbornæ

1697

